

---

# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

---

## COMMENTARIUM OFFICIALE

---

*Directio:* Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

---

# ACTA FRANCISCI PP.

---

## LITTERAE DECRETALES

### I

**Quibus beatae Mariae Catharinae Kasper Sanctorum honores decernuntur.**

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

«*Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*» (*1 Cor 1, 27*).

Verba haec sancti Pauli apostoli apposite cum vita operaque congruunt beatae Mariae Catharinae Kasper, quae Domino iuvante tantum fisa Congregationem condidit, quae Dei caritatis fragrantiam in mundum sparsit.

Die xxvi mensis Maii anno MDCCXX in oppido Dernbach in Hassia Germaniae ex agricolarum frequenti familia orta est. Ob incertam familiae condicionem, parum adire scholam potuit Catharina, legere tamen studuit, Biblia potissimum et opus de Imitatione Christi. Fortis et vivax adulescentiam in agris operans transegit, humilia quoque agens, etiam saxa frangendo ad vias sternendas. Liberalis animi cum esset, licet rerum familiarium exiguitate laboraret, semper aliquid se pauperioribus donandum habebat. Eius quoque hilaris animus in ceteros recidebat. Inde ab adulescentia vocari ad se Domino consecrandam palam animadvertisit, sed Congregationem iam existentem ingredi nolebat. Sic, opibus carens sed suis paroecianis fulta, de Episcopi Limburgensis Petri Iosephi Blum licentia atque ab urbis praefecto adiuta, die sollemnitatis Assumptionis Beatae Mariae Virginis anno

MDCCXLVIII domum comparavit, in quam illius loci pauperes reciperentur. Novae vocationes advenerunt atque, ecclesiastica potestate iuvante, primas novi Instituti regulas tulit. De Maria cogitans, ancilla Domini, beata Catharina voluit ut sua filiae vocarentur “Pauperes Ancillae Iesu Christi”. Tribus utique annis post, eodem die sollemnitatis Assumptionis Beatae Mariae Virginis, complures iuvenes vestimentum religiosum induerunt. Illam nacta occasionem beata Catharina, quae sibi nomen Mariam imposuerat, affirmavit: “Nunc omnia possum; nihil cedam”. Congregatio celeriter crevit. In unaquaque domo inerant quattuor sorores, duae valetudinariae quarum altera ludo pueritiae, altera senibus destinabatur. Beata fundatrix, quae quinquies sine intermissione generalis moderatrix est electa, effecit ut anno MDCCCLIX Germaniae fines novum institutum transiret, cum in Nederlandiam perveniret. Beatus Pius IX Pauperibus Ancillis Iesu Christi laudis Decretum die IX mensis Martii anno MDCCCLX concessit; Sanctae Sedis decretoria approbatio die xx mensis Maii anno MDCCCLXX evenit. Anno MDCCCLXVIII eius religiosae mulieres ad Foederatas Civitates Americae Septentrionalis pervernerunt: Chicagiae eis commissa sunt orphanotrophium atque valetudinarium Sancti Ioseph. Londinium quoque sunt arcessitae ut advenae Garmanici adiuvarentur, ubi quoque orphanotrophia et scholae sunt constituta. Beata Maria Catharina vitam religiosam affectantes etiam sine dote et sine cultu recipiebat, volebat tamen ut humiles essent et firma voluntate. Earum corda inspicere cum valeret, usque ad extremum vitae, sibi servavit postulantum examinandarum munus, eis totum tempus dicans quod in promptu habebat. Illis dicebat: “Omnia pro Deo patrare debemus et cum Deo, et ita ut Deus per nos agat. Ubi cumque sumus, apud Deum sumus”. Confirmabat pondus interiorem vitam cum apostolatu copulandi atque, munus reiciens imperiosae antistitiae, perrexit, ut solida agricola, fenum demetere, tubera solani deglubere, animalibus pabulum praebere, linteal abluere. Pauperes Ancillae Conditicem adamabant, cum esset quoque in quacumque opera una earum. Annorum decursu Congregatio communitates etiam in India, Brasilia et Mexico constituit. Beatae Mariae Catharinae in manus circiter quadringentae sorores vota religiosa nuncuparunt. Infarto correpta die XXVII mensis Ianuarii anno MDCCXCVIII, die II consequentis mensis Februarii obiit, albente caelo in festo Praesentationis Domini, amore circumdata et dolore cunctarum suarum filiarum. Beatus Paulus VI in ritu beatificationis Venerabilis Servae Dei, eam mulierem definiit “fide funditus et animi fortitudine

imbutam". Sine opibus ac sine cultu magnam socialis promotionis comparavit operam, perspicuam sancti Pauli Apostoli confirmans veritatem: «Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia» (*I Cor 1, 17*).

Sanctitatis fama perspecta, tertio decennio superioris saeculi, Procesus Informativus constitutus est. Rebus servatis iure statutis et Positione comparata, die IX mensis Aprilis anno MCMLXXIV Theologi Consultores, in peculiari Congressione congregati, eius virtutes heroum in modum exercitas sunt suffragati et in eandem sententiam die IV mensis Iulii anno MCMLXXIV in Sessione ordinaria venerunt Patres Cardinales et Episcopi. Beatificationis causa mira putata sanatio exhibita est, quam Consultores Theologi, in Congressione peculiari die VI mensis Iulii anno MCMLXXVI Venerabilis Servae Dei intercessioni tribuerunt quamque Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione ordinaria die XXX mensis Novembris anno MCMLXXVI verum miraculum iudicarunt. Decessor Noster, beatus Paulus VI beatificationis ritum die XVI mensis Aprilis anno MCMLXXVIII celebravit. Canonizationis causa mira putata sanatio exhibita est. De hac re dioecesana inquisitio anno MMXV in urbe Indorensi in India acta est. Medici Consultores Congregationis de Causis Sanctorum in Sessione diei V mensis Octobris anno MMXVII hanc sanationem ad scientiam inexplicabilem iudicarunt. Consultores Theologi, in Congressione peculiari die XXX mensis Novembris anno MMXVII coadunati, hanc sanationem intercessioni Beatae tribuerunt quamque Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione ordinaria die VI mensis Martii anno MMXVIII coadunati, verum miraculum existimarunt. Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum die VI mensis Martii anno MMXVIII Decretum ederet atque in Consistorio die XIX mensis Maii anno MMXVIII statuimus ut canonizatio beatae Mariae Catharinae Kasper die XIV mensis Octobris eodem anno celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianaee incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Paulum VI, Ansgarium Arnolfum Romero Galdámez, Franciscum Spinelli, Vincentium Romano, Mariam Catharinam Kasper, Nazariam Ignatiam a Sancta Teresia a Iesu March Mesa et Nuntium Sulprizio Santos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo

adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo duodecimmo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*



Loco ☐ Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 430.263*

## II

**Quibus beato Francisco Spinelli Sanctorum honores decernuntur.**

**FRANCISCUS EPISCOPUS****SERVUS SERVORUM DEI****AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

«Faciem tuam, Domine, exquiram... Ne avertas faciem tuam a me» (*Ps 27, 8-9*).

Dei vultus conquisitio, nominatim in Eucharistia ac pauperioribus fratribus, cunctam Francisci Spinelli comitata est vitam, dioecesani presbyteri et Instituti Sororum Adoratricum SS. Sacramenti conditoris.

Franciscus Mediolani die xiv mensis Aprilis anno MDCCCLIII natus est in aedibus marchionum Stanga, quibus parentes famulabantur. Postridie in Mediolanensi basilica S. Ambrosii baptismatis aqua est ablutus. Propter crebras parentum migrationes, Marchiones sequentium, sex annos natus ingressus est alumnus Collegium Cremonense “Gallina”. Die xix mensis Maii anno MDCCCLXI, in Cremonensi tempio S. Agathae chrismatis sacramento est confirmatus. Cum plurimum in studiis proficeret, anno MDCCCLXIII parentes, licet graviora onera sustinere debuissent, statuerunt eum in insigne collegium Bergomense S. Alexandri allegare. Seu in gymnasio seu in lyceo multum profecit iuvenis. Illis annis laetus est propterea quod primum reconciliationis sacramentum ac sacram Eucharistiam recepit. Iam diu Franciscus precationi se dicabat et pueris item ac pauperioribus colendis operam dabant, quos puer una cum matre conveniebat.

Peculiari cura a Iesuita patre Ioanne Maj adiutus, intellexit se a Domino vocari ad penitus in sacerdotio se tradendum. A parentibus fultus, Bergomense Seminarium est ingressus, ubi ad primum theologiae persolvendum curriculum alumnus externus est destinatus, propter haud firmam valetudinem. Quattuor theologiae annos transegit, itans ad Seminarium a paroecia S. Alexandri, ubi commorabatur, cuius curio fuit avunculus Petrus Cagliaroli. Annis illis ex voluntate ac studio suam vocationem altius vestigavit: studiis praestitit, sicut ut in spirituali itinere obsequenter perduceretur et didicit se iuvenem missioni conformari ad quam vocavit Dominus. Die xvii mensis Octobris anno MDCCCLXXV, tantum xxii annos natus, ab Episcopo Bergomensi

Aloisio Speranza presbyteralem ordinationem recepit. Eodem anno, Iubilaei occasione a Summo Pontifice beato Pio IX indicti, una cum dioecesi Bergomensi Romam petiit. In Basilica S. Mariae Maioris, cum coram reliquiis cunarum Iesu Infantis oraret, interiori luce est perfusus: communitas fuit condenda iuvenum mulierum, quae propriam vitam Domino impenderet in Eucharistia praesenti, eum diu noctuque precantes, ut amorem haurirent ad pauperioribus fratribus famulandum, ab omnibus repudiatis et curationibus institutionibusque indigentibus. Nonnullos post annos, quadam sua in epistula, animi commotione quod in Romana basilica est expertus recordatus est: “Genibus nixus sum, flevi, oravi et sommavi virginum turbam sine intermissione Iesum in Sacramento adoraturam”. Bergomum reversus, somnium hoc servans in corde, Episcopi postulationibus se addixit, cogitans quomodo et ubinam perficere posset quod in Basilica S. Mariae Maioris suscipere est commentatus. Beato Francisco munus concreditum est religionem in Lycaeо S. Alexandri docendi, in variis paroecis praedicandi, reconciliationis sacramentum ministrandi, oratorio inserviendi, una cum beato Aloisio Palazzolo.

Nonnullis post annis Catharinam Comensoli convenit – nunc sanctam – quacum desiderium communicavit Iesum Eucharistiam adorandi eique in pauperioribus inserviendi. Inceperunt se cognoscere et convenire Camillum Caietanum Guindani, Bergomensem Episcopum. Die xv mensis Decembris anno MDCCCLXXXII Franciscus, Catharina Comensoli et tres iuvenes sorores primam communiteatem effecerunt Sororum Adoratricum SS. Sacramenti, hora adorationis addita coram Sacri Cordis effigiem. Feliciter incohatum est: tantummodo post tres annos sorores fuerunt circiter centum et ducentae personae receptae et iuvatae. Dei tamen operae crucis signum semper habent. Implicatus est, quamvis nolens, onerosis emptionibus ac dubiis nummariis negotiis. Quamvis bona opinione et creditorum fide nixus sit, debitibus conflatis occurtere non valuit, praesertim ob actus dubios ac malos illorum qui eum ad onera illa suscipienda impulerunt, promisso subsidio. Pervenit sic ad gravem rei familiaris ruinam et die xviii mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIX decoctionem declarare est coactus. Hanc acerbam probationem beatus Franciscus silens, precans, prorsus fidens ac palam “ex corde” ignoscens illis qui eum perculerunt, deceperunt et falso insimularunt. A suo Instituto depulsus necnon a Bergomensi dioecesi in sororum

communitatem loci Rivolta d'Adda, in Cremonensi dioecesi, est receptus. Huius dioecesis ab Episcopo, Ieremia Bonomelli, postulavit ut in numero eius clericorum inscriberetur et Institutum a se conditum curare pergeret. Episcopus post primam negationem ac dubium, huius miselli presbyteri humilitate est permotus, intus converti animadvertisit atque eum in suam dioecesim mense Martio MDCCCLXXXIX recepit. Dei de beato Francisco consilium in Cremonensi dioecesi productum est, confirmatum die x mensis Novembris anno MDCCXCVII per Decretum evulgatum canonicae erectionis Instituti Sororum Adoraticum SS. Sacramenti. Sorores autem quae Bergomi manserant, Sacramentinae cognominatae, operari perrexerunt et Gertrudem Comensoli suam conditricem agnoverunt. Resurrectio facta est per extremam paupertatem, sed opes deficientes praeclera fide locuplebantur, perpetua Iesu Eucharistiae adoratione Eiusque in omnem hominem infiniti amoris contemplatione sustentata. Granum frumenti quod in terram cecidit, multum fructum fuit allaturum. Institutum crevit; complures puellae postulabant ut adorationis ac famulatus propositum participarent. In resuscitato Instituto beatus Franciscus plus viginti annos, usque ad suum obitum, Conditoris ac Superioris sustinuit munus. Ipso paterne firmiterque moderante, sorores vitae agendae consuetudinem eucharisticam discebant, quam afferebant pueris, aegrotis, inhabilibus, quos nemo recipiebat, pauperibus desertis et reiectis. Beatus Franciscus sivit perpetuo fingi ac dirigi Iesu Eucharistiae contemplatione, cuius sensus sumpsit. Altam presbyteralem fraternitatem coluit, ex corde ac sollicitudine sacerdotibus consulens in difficultatibus versantibus. Genibus inixus coram Domino, eius misericordiae compassio- nisque vultum requisit; eiusdem vultum genibus nixus coram fratribus pauperibus amandis et iuvandis repperit. Fervens caritas, ex Eucharistia hausta et in fratres conversa, eius vitae doni est compendium. Suam per exsistentiam probationibus proditionibusque notatam, ignoscendi artem experiebatur, quam exercuit ut "sanctorum ultionem". Suo in testamento, quae est postrema sua vita traditio, in Dominum requirendum collata, ipse se ipsum definit: eum qui "in miseris Iesum Christum agnovit et in inimicis necessarios pecularis amoris". Suis sororibus circumdatus, pie tranquilleque die vi mensis Februarii anno MCMXIII, LIX annos natus, obiit.

Die xiv mensis Maii anno MCMXXIV eius corpus ex coemeterio loci Rivolta d'Adda in templum domus principis Instituti est translatum et die i

mensis Martii anno MCMXXVIII Cremonae dioecesanus beatificationis canonizationisque processus est incohatus. Beatificatio a sancto Ioanne Paulo II die xxi mensis Iunii anno MCMXII apud sanctuarium S. Mariae a Fonte Caravagii dioecesis Cremonensis est celebrata. Canonizationis causa, Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum sanationem exhibuit cuiusdam pueri miram habitam, quae Kinsasae in Republica Democratica Congensi anno MMVII evenit. Hoc de eventu dioecesana Inquisitio acta est apud Curiam Kinshasanam a die x ad diem xvi mensis Augusti anno MMXIV, cuius iuridicam validitatem per Decretum die xv mensis Ianuarii anno MMXVI agnovit Congregatio de Causis Sanctorum. Die xxi mensis Septembbris anno MMXVII felici cum exitu habita est Medicorum Dicasterii Consultatio, quae sanationem inexplicabilem ad scientiam iudicavit. Die xxx mensis Novembris anno MMXVII Congressio Peculiaris Consultorum Theologorum felici cum exitu est habita, qui intercessioni Beati eam tribuerunt atque die xxvii mensis Februarii anno MMXVIII, in Sessione Ordinaria coadunati, Patres Cardinales et Episcopi hanc sanationem verum miraculum iudicarunt.

Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo die vi mensis Martii anno MMXVIII evulgaret atque tandem in sollemni Consistorio die xix mensis Maii eodem anno statuimus ut canonizationis ritus die xiv mensis Octobris anno MMXVIII in foro Petriano ageretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianaee incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Paulum VI, Ansgarium Arnolfum Romero Galdàmez, Franciscum Spinelli, Vincentium Romano, Mariam Catharinam Kasper, Nazariam Ignatiam a Sancta Teresia a Iesu March Mesa et Nuntium Sulprizio Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Octobris,  
anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO FRANCISCUS  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Villelmus Millea, *Proton. Apost.*



Loco ☐ Plumbi  
*In Secret. Status tab., n. 438.183*

## III

**Quibus beato Nuntio Sulprizio Sanctorum honores decernuntur.**

**FRANCISCUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

«Dicebat autem ad omnes: “Si quis vult post me venire, abneget se-metipsum et tollat crucem suam cotidie et sequatur me”» (*Lc 9, 23*).

“Deo coniuncti manete, ad sacramenta accedite... quia omne bonum a Deo procedit”.

Haec sententia, quam iterare solebat beatus Nuntius Sulprizio, essentiam eius animae ostendit et omne eius terrestre iter modulatur.

Iuvenis Beatus per omnem suam brevem vitam, xix annorum, anima fuit eucharistica, et intimam coniunctionem est expertus cum Iesu Eucharistia, quem iam septem annos natus, adorare didicit genibus nixus coram tabernaculo paroecialis templi. Diuturnis dulcibusque dialogis, beatus Nuntius Iesu suas aerumnas manifestabat et a Quo amorem et comprehensionem recipiebat. Eucharisticum Corpus Domini Iesu, quod primum ille Neapoli recipere potuit, eius fuit solacium et usque ad extremos dies perfugium... Cum moreretur postremum sanctam Communionem recipere voluit ut penitus ac definite cum Eo “dulci Iesu” coniungeretur.

Ortus est die XIII mensis Aprilis anno MDCCCVII in oppido Pescosan-sonesco Piscaiensis provinciae ex familia utique paupere, sed magnae dignitatis ac pietatis. Cum primum patrem et deinde matrem amisisset, quinque annos natus ab avia materna est receptus, a qua in Eucharistiam amorem est adeptus. Cum avia quoque anno MDCCCXXVI mortua esset, Nuntius a Dominico avunculo est receptus, fabro, aspro et vinolento, violento et nullo Dei timore praedito. Scholam deserere et fabri artem discere est coactus. Liceat laboriosum opus agere cogeretur et minime congruum tum ipsius aetati, tum eius gracilitati, enitebat Nuntii hilaris vultus, quo homines salutabat, cum testis esset laetitiae quae e precatione manaret et e Christi patientis occursu. Eius paupertas plane patebat:

pannos in duebat decoloratos et laceratos, usu detrita calceamenta. In superiore sinistri pedis parte vulnus effectum est, quod summos cruciatus gignebat. Vesperi, opere absoluto, usque lassior ac macilentior, rivum adire solebat ut linteamina ablueret et vulnus purgaret. Tempus illud erat ad Deum mentem elevandi, cum per precationem cum Virgine Maria communicaret, cui inde a puero sese addixit. Primum sub finem mensis Aprilis anno MDCCCXXXI in valetudinarium Aquilanum receptus est. Illic quoque suam dilectionem in ceteros socios patientes ostendit: lectos adibat ceterorum aegrotorum ut iis precationis et cuiusdam parvi levaminis solacium paeberet, quod offerre poterat. Medici, cum exploratam haberent eius morbi gravitatem, eum insanabilem iudicarunt eumque exente mense Maio dimiserunt. Cum in oppidum Pescosanonesco revertisset, patruus, optio primae legionis pyrobolariorum Neapoli morantium, suum chiliarchum certiorem fecit de huius nepotis haud firma valetudine. Eques Felix Wochinger, vir genere insignis, ob pietatem erga humilioris ordinis homines aestimatus, adolescentis misertus, statuit eum sub sua tutela continere et Neapolim eum arcessivit, qui itaque in valetudinarium Sanctae Mariae de Populo, cognominatum "Insanabilium" est receptus. Hic quoque, licet admodum infirma esset valetudine, alios infirmos iuvabat. Saepenumero voluntarie ieunabat, pro sociis precabatur, escam, quam ei chiliarchus ex castro deferendam curaverat, dono dabat iis qui magis erant soli ac pauperiores quam ipse. In Neapolitano valetudinario primum sacram Eucharistiam recepit et ex illo die Corpore Christi carere noluit, quod magna pietate recipiebat. Quamvis parum etiam de rebus religiosis sciret, alta rerum Dei cognitione movebatur, de quibus perquam persuasibiliter loquebatur et medullas cordium permovebat obstinationum. Desiderium animadvertebat animas ad Deum deferendi et efficiebat ut ad sacramentum reconciliationis accederent quotquot compluribus annis ab eo longe aberant. Pueris infirmis ipse fidei veritates tradebat, amare docens Iesum et Beatam Virginem Mariam. Pro dolor corporis infirmitas sine mora progrediebatur, summos gignens cruciatus. Mense Aprili anno MDCCCXXXIV e valetudinario est dimissus et hospitio receptus domum benafactoris, chiliarchi Wochinger. Principio convaluit, sed postea valetudo acriter ac pedetemptim in peius conversa est. Eius conclave in

veram “cellam” commutatum est: ipse precationi contemplationique sese dicavit, adeo ut Domino se totum offerret, qui eum die v mensis Maii anno MDCCCXXXVI ad se vocavit.

Die IX mensis Iulii anno MDCCCLIX Neapoli Processus Informativus incohatus est. Beatificationis ritus die I mensis Decembris anno MCMLXIII est celebratus. Canonizationis causa, Postulatio iuvenis sanationem Congregationi de Causis Sanctorum exhibuit, quae mira habita est quaeque anno MMIV evenit. Eo de eventu Inquisito dioecesana apud Curiam Tarentinam facta est. Die XXII mensis Martii anno MMXVIII felici cum exitu habita est Medicorum Dicasterii Consultatio, quae sanationem inexplicabilem ad scientiam iudicavit. Die XXVI mensis Aprilis anno MMXVIII Congressio Peculiaris Consultorum Theologorum felici cum exitu est habita, qui intercessioni Beati eam tribuerunt, atque die V mensis Iunii anno MMXVIII, in Sessione Ordinaria coadunati, Patres Cardinales et Episcopi hanc sanationem verum miraculum iudicarunt.

Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo die VIII mensis Iunii anno MMXVIII evulgaret atque tandem in sollempni Consistorio die XIX mensis Iulii eodem anno statuimus ut canonizationis ritus die XIV mensis Octobris anno MMXVIII in foro Petriano ageretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianaee incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Paulum VI, Ansgarium Arnolfum Romero Galdamez, Franciscum Spinelli, Vincentium Romano, Mariam Catharinam Kasper, Nazariam Ignatiam a Sancta Teresia a Iesu March Mesa et Nuntium Sulprizio Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Santos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Octobris,  
anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO FRANCISCUS  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*



Loco ☐ Plumbi  
*In Secret. Status tab., n. 463.789*

## IV

**Quibus beatae Nazariae Ignatiae a Sancta Teresia a Iesu Sanctorum honores decernuntur.**

**FRANCISCUS EPISCOPUS****SERVUS SERVORUM DEI****AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

«Spiritus Domini Dei super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum laeta mansuetis misit me, ut mederer contritis corde» (*Is 61, 1-3*).

Soror Nazaria Ignatia re Spiritum operantem per manuum impositiōnem Internuntii Apostolici in Boliva excellentissimi Domini Philippi Cortesi animadvertisit. Dixit: “Nescioquae peculiaris gratia in animam meam est illata. Mihi videbatur amplius non esse mulier et in Christi apostolum esse conversa”. Progrediente tempore extinguere non potuit Dei ignem, qui in ea ardebat ut eius Verbum nuntiaret et operibus historicis necessitatibus occurreret, Christum intuens in hominibus.

Matriti in Hispania die x mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXIX nata est. Puella ab avis maternis in oppido Sanlúcar la Mayor alta est. A septimo anno ad duodecimum intra Collegium Commendatarum Spiritus Sancti Hispali mansit. In collegio strenuus vigebat missionarius animus et, sua dirigendi fruens facultate, manipulum constituit puellarum missioniarum latentium a Sacro Corde. Iesus prompte ei obviam ivit: “Septem annos nata, Iesu, te cognovi ac proinde te amavi”. Nonum cum ageret annum ac cum primum ad sacram Eucharistiam accederet, rursus in eam invasit gratia et animadvertisit Iesum eam invitare ad se sequendum. Nazariae familia, ob rei familiaris incertitudines, septemdecim cum ipsa haberet annos, in Mexicum se contulit. In itinere duas convenit Sorores Senum Domo Carentium quae sua simplicitate eam allexerunt. Una cum illis Asylum ingressa est Matthiae Romero Mexicopoli. In Hispaniam rediit novitiatum Palantiae actura. Ibi temporaria vota nuncupavit, ac deinceps Orurum in Bolivia est missa. Inquisitio et discretio sunt verba quae eius vim spiritalis itineris testari possunt. Spiritualibus in exercitationibus sancti Ignatii anno MCMXX ac meditatione de Regno visa est videre Iesum aliquem quaerere. Ipsa properavit ac se obtulit ad vexillum levandum et statuit eum sequi perpetuoque amare. Quinque post

annos, die xxvii mensis Ianuarii anno MCMXXV, a Domino ei revelatum est quod esset eius de ea consilium. Condere Congregationem femininam quae praestaret amore in Ecclesiam et desiderio Regni utique prolatandi, etiam vitam tradendo, si esset necessarium. Die xvi mensis Iunii anno MCMXXV, hierarchiae Boliviana obsequens, Nazaria a priore communitate se expedivit et incepit in Beaterio condere Institutum novum sua ratione suaque forma: Cruciatam Pontificiam. Omnia Oruri erant primordia. Parvula statura mulier, sed spiritali vi praestans, descendit in viam et Dei Verbum ad fodinas, ad indorum rura, ad carceres, ad mercatus detulit. Verbi mulier, temporum signa intellexit et famem panis, culturae ac Dei saturavit. Composuit plebem ut sua iura defenderet. Primum collegium opificum feminine constituit. Eius fuit sententia: Populum stratum sublevare studeo. Duodeviginti per annos, quibus ipsa exstitit fundatrix, eius Institutum in Argentinam, Uruguaiam et Hispaniam est delatum, usque dum anno MCMXXXVI politica contentio facta est atque Ecclesia persecutionem passa est. Dum viveret non defuerunt momenta magnarum dissentionum intra et extra Institutum, in quibus praeclararam animi magnitudinem et granditatem virtutum demonstravit. Bonaëropoli die vi mensis Iulii anno MCMXLIII obiit. Eius corpus Orurum anno MCMLXXII translatum est, sicut suum ante obitum disposuerat.

Dioecesana Inquisitio virtutum heroum in modum exercitarum et sanctitatis gradus incohata et explicata annis MCMLXVI-MCMLXXIII Bonaëropoli. Exhibita anno MCMLXXXVII positione, Decessor Noster sanctus Ioannes Paulus II Decretum de virtutibus heroum in modum exercitis die i mensis Septembris anno MCMLXXXVIII edidit. Die vii mensis Martii anno MCMXCII decretum de miraculo est evulgatum, intercessione adscriptum Nazariae Ignatiae, Summo Pontifice sancto Ioanne Paulo II adstante. Beatificata est die xxvii mensis Septembris anno MCMXCII. Mense Aprili anno MMXV Processus incohatus est Cochabambae de putato miraculo canonizationis causa; et mense Maio canonizationis Processus in eadem archidioecesi incohatus est. Archiepiscopus Cochabambensis Ansgarius Omar Aparicio Céspedes die xx mensis Iulii anno MMXV praesentem Rogationalem Processum de putata mira sanatione definite concludit. Die xxi mensis Septembris anno MMXVII Consultores Medici coadunati unanimiter iudicarunt sanationem ad scientiam inexplicabilem. Theologi Consultores in Congressione die xxvi mensis Octobris anno MMXVII coadunati unanimiter faventia vota tulerunt, affirmantes sanationem evenisse per intercessionem beatae Nazariae Ignatiae. In Sessione ordinaria coadunati Patres Cardinales et

Episcopi die xvi mensis Ianuarii anno MMXVIII edixerunt eventum verum fuisse miraculum, Beatae intercessioni adscriptum. Nos die xxvi mensis Ianuarii anno MMXVIII facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo foras emitteret. In Publico Ordinario Consistorio die x mensis Maii eiusdem anni statuimus ut canonizatio beatae Nazariae Ignatiae a Sancta Teresia a Iesu Romae die xiv mensis Octobris eodem anno celebraretur.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianaee incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Paulum VI, Ansgarium Arnolfum Romero Galdámez, Franciscum Spinelli, Vincentium Romano, Mariam Catharinam Kasper, Nazariam Ignatiam a Sancta Teresia a Iesu March Mesa et Nuntium Sulprizio Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo duodecimesimo, Pontificatus Nostri sexto.

EGO FRANCISCUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*



Loco ☐ Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 443.015*

**LITTERAE APOSTOLICAE****I**

**Venerabili Dei Servae Spei a Iesu (in saeculo Mariae Iosephae Alhama Valera)  
Beatorum honores decernuntur.**

**FRANCISCUS PP.**

Ad perpetuam rei memoriam. — «Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo» (*Mt 9, 13*).

Venerabilis Dei Serva Spes a Iesu (in saeculo Maria Iosepha Alhama Valera) haec Evangelii verba sibi assumpsit vixitque ut misericordem vul- tum Iesu et amorem Eius erga peccatores et miseros manifestaret atque Eius desiderium, ut omnes homines salvarentur ad Patremque portarentur, ostenderet.

Haec amoris Christi testis nata est die XXIX mensis Septembris anno MDCCXCIII in *Santomera* (Murciae) Hispaniae in familia numerosa ac omnino pauperi. Forti experientia spiritualitatis habita, anno MCMXIV ingressa est communitatem religiosam sub nomine “*Filiarum a Calvario*”, cuius munus erat aegrotos adiuvare; quae communitas, *Pia Unio* denominata, illo tempore fuit fere exstincta; quamobrem coniuncta est Instituto Missionariorum Claretianarum anno MCMXXI. Itaque ipsa Serva Dei eodem anno idem ad Institutum est ascita et domum eius in *Vicálvaro* Matriti petivit. Factum est divina providentia ut ea in occursum Patris Ioannis Arintero ibi veniret, qui moderator spiritus eius est factus eiusque collaborator in opere quo Deus, Amor Misericors, demonstraretur. Hoc spiritualitatis momentum Matrem Spem permovit ad opus fundandum futurae Congregationis “*Ancilarum Amoris Misericordis*”. Hoc opus iam ab initio faustum iter accepit. Postea autem tempestas valida exorta est in eam et ratio quam ipsa pro Instituto in animo habebat impugnabatur. Haec autem mulier in angustiis fuit fortis et, assidua oratione suffulta, in missione quam Dominus ei concredidit iugiter perseveravit donec veritatem missionis eius sane patefaceret.

Ad Romam translata, anno MCMLI fundavit coetus virorum Instituti, scilicet *Filiorum Amoris Misericordis*, qui transiverunt cum ea ad oppidum

*Collevalenza* prope urbem Tuder, quo in loco Mater Spes opus principale suum fecit. Ibi enim ingens sanctuarium constituit, Amori Misericordi dicatum; cuius amoris impertiendi Mater Spes studiose exercuit apostolatum pro innumerabilibus hominibus per totum terrarum orbem dispersis. Eius familia religiosa, sive coetus mulierum sive coetus virorum, valde amplificata est per Hispaniam, Italiam, Germaniam, Brasiliam et Philippinas. Die xxii mensis Novembris anno MCMLXXXI, Mater Spes amantissime recepit Sanctum Papam Ioannem Paulum II, qui sacram peregrinationem fecit ad Sanctuarium in loco *Collevalenza* dum iter agebat apostolicum post petitionem caedis in eum, die xiii mensis Maii Romae factam. Haec visitatio fuit quasi affirmatio doctrinae in litteris encyclicis *Dives in misericordia* appellatis inclusae atque signum peculiari eius benevolentiae erga Matrem Spem eiusque charisma in Ecclesia. Venerabilis Dei Serva tranquillo animo decessit in *Collevalenza* die viii mensis Februarii anno MCMLXXXIII, amore gratiaque Populi Dei circumdata. Immutabile huius Venerabilis Dei Servae nuntium fuit Amor Misericors Domini et, ut ipsa scripsit: “vel pessimum inter homines et miserrimum et a cunctis derelictum, a Iesu dulcissime diligi summo amore, quia Jesus est ei pater et dulcis mater”.

Fama sanctitatis huius religiosae percrebrescente, Inquisitio dioecesana incohata est anno MCMLXXXVIII apud Curiam episcopalem Urbevetanam-Tudertinam, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum Decreto diei xii mensis Iunii anno MCMXCI probatae sunt. Die xi mensis Ianuarii anno MMII, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu factus est de eius exsecutione heroica virtutum, de qua sententiam protulerunt faventem etiam Purpurati Patres et Episcopi, in Sessione Ordinaria die v mensis Februarii anno MMII congregati. Praedecessor Noster, Sanctus Ioannes Paulus II, Decretum de his rebus promulgari iussit die xxii mensis Aprilis anno MMII. Quaedam deinde mira, ut dicitur, sanatio proposita est, quam Coetus medicorum Dicasterii in congressione die xiv mensis Iunii anno MMXII habita declaravit inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam. Die xvii mensis Novembris anno MMXII Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum hanc attribuit sanationem Beatae Servae Dei intercessioni; quod responsum affirmativum Patres Cardinales et Episcopi protulerunt in Sessione Ordinaria die xviii mensis Iunii anno MMXIII habita. Quamobrem Nos die v mensis Iulii anno MMXIII mandavimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo evulgaret at-

que statuimus ut beatificationis ritus die xxxi mensis Maii anno MMXIV in *Collevalenza* Perusiae celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Spem a Iesu, in saeculo Mariam Iosepham Alhama Valera, Fundatricem Congregationum Ancillarum Amoris Misericordis et Filiorum Amoris Misericordis, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Benedicti Tuzia, Episcopi Urbevetani-Tudertini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Spes a Iesu, Fundatrix Congregationum Ancillarum Amoris Misericordis et Filiorum Amoris Misericordis, testis mansuetudinis Dei praecipue erga pauperes, sanctitatis quoque fautrix apud clerum dioecesanum, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die octava mensis Februarii, qua ad caelum pervenit, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxxi mensis Maii, anno MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco ☐ Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 18.620*

## II

**Venerabili Dei Servae Mariae Teresiae Demjanovich Beatorum honores decernuntur.**

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Consummatus in brevi explevit tempora multa» (*Sap* 4, 13).

Hic versus ex Libro Sapientiae exceptus accurate vitam describit Venerabilis Dei Servae Mariae Teresiae Demjanovich, quae breve inter vitae sua tempus his in terris actum, vocationis suae christianaee et religiosae attigit culmen. Etenim multum profuerunt profunditas ac pertinacia orationis eius, amori Sanctissimae Trinitatis ardenti coniunctae, qua altam spiritualitatem atque firmam cum Altissimo communionem fovit neenon apicem vitae mysticae et sanctitatis adepta est.

Haec Venerabilis Dei Serva nata est Baionae in Nova Caesarea die xxvi mensis Martii anno MCMI in familia migratorum Slovachorum ad Ecclesiam Catholicam Ruthenam pertinentium. Iam a pueritia vocationem ad vitam consecratam senserat, sed mors immatura matris eius impedivit eam ne hanc vocationem confestim sequeretur. Die vero XIII mensis Decembris anno MCMXXIV rogavit denique ut acciperetur a Sororibus Caritatis Sanctae Elisabeth. Accepta equidem est, sed, mortis patris causa, coenobium nequivit introire ante diem xxx mensis Ianuarii anni sequentis. Cum denique novitiatum incohaverit, nomen Sororis Mariae Teresiae sibi imposuit. Anno autem MCMXXVI exeunte, cum semper morbo facile absumeretur, multo minus protinus valebat, et quidem die VIII mensis Maii anno MCMXXVII mortua est praemature, inutilem post sectionem chirurgicam. Iam inde ab excessu eius multi ad eius sepulchrum accedebant orandi et meditandi causa.

Venerabilis Dei Serva semper ex fide vixit et, quamvis altam professionem adipisci potuisset, tamen in conventum potius invit quam fortunam suam in mundo quaesivit. Passionem Domini continenter meditata Eiusque paternitatem praecipue contemplata, nihil voluit nisi ut suam voluntatem Dei voluntati perfecte iugiter uniret. Optimum exemplum virtutis spei praebuit. Tum vocatio ab ea electa tum facultas et eius et parentum morbum tolerandi plane manifestant suam in tribulationibus fortitudinem neenon

temperentiam spiritus vigilantis ac attenti ad assiduam mortificationem. Eius oboedientia superioribus, Confessori neenon Regulae enituit. Tam quoque praestans fuit in virtute humilitatis ne copiam gratiae caelestis a se acceptae ostentaret.

Fama sanctitatis huius religiosae, iam a sororibus coenobii agnita, celeriter in dies percrebuit inter Populum Dei. Quamobrem Archiepiscopus Novarcensis incohare decrevit Processum Informativum anno MCMLIII. Processu Apostolico anno MCMLXXXI peracto actorumque validitate iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei xxviii mensis Maii anno MCMXCIX agnita, Consultores Theologi, positione parata, in Congressu Peculiari die xxv mensis Iunii anno MMXI congressi, votum favens protulerunt de heroicitate virtutum, de qua sententiam protulerunt faventem etiam Purpurati Patres et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei xxvii mensis Ianuarii anno MMXII congregati. Praedecessor Noster, Benedictus XVI, Decretum de his rebus promulgari iussit die x mensis Maii anno MMXII. Quaedam deinde mira, ut dicitur, sanatio proposita est, quam Coetus medicorum Dicasterii in congressione die xviii mensis Octobris anno MMXII habita declaravit inexplicabilem secundum hodiernam scientiam medicam. Consultores Theologi hanc attribuerunt sanationem Beatae Servae Dei intercessioni; quod responsum affirmativum Patres Cardinales et Episcopi protulerunt in Sessione Ordinaria die xvii mensis Decembris anno MMXIII habita. Quamobrem Nos die xvii mensis Decembris anno MMXIII mandavimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miraculo evulgaret atque statuimus ut beatificacionis ritus die iv mensis Octobris anno MMXIV in urbe Novarcensi Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis celebraretur.

Hodie igitur, in urbe Novarcensi, de mandato Nostro, Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Mariam Teresiam Demjanovich, religiosam e Congregatione Sororum Caritatis Sanctae Elisabeth, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Arturi Iosephi Serratelli, Episcopi Patersonensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Teresia Demjanovich, Religiosa e Congregatione Sororum Caritatis Sanctae Elisabeth, quae ardenti adoratione Sanctissimae Trinitatis operosam

testificationem est comitata amoris evangelici, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die octava mensis Maii, qua in caelum nata est, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris die IV mensis Octobris, anno Domini bismillesimo quarto decimo, Pontificatus Nostri secundo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco ☐ Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 48.317*

## III

**Venerabili Servae Dei Veronice Antal, virginis et martyri, Beatorum honores decernuntur.**

## FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius? Sicut scriptum est: "Propter te mortificam tota die, aestimati sumus ut oves occisionis". Sed in his omnibus supervincimus per eum, qui dilexit nos» (*Rom 8, 35-37*).

Clamor Apostoli Gentium in vita Venerabilis Servae Dei Veronice Antal resonat quae, licet iuvenis cum vitam suam sacrificavit, novit validam testificationem offerre se omnino ad Dominum pertinere, dum castitatis votum proprio sanguine effuso munivit, itaque nomen suum adscribens agmini sanctorum ac beatorum qui ad Ordinem Franciscanum Saecularem pertinent.

Ea die VII mensis Decembbris anno MCMXXXV nata est in oppido *Nisporești*, in Moldavia, regione Romaniae. Postridie baptismum suscepit in ecclesia paroeciali loci *Hălăucești*. Familia funditus catholica et ambitus antiqua christiana traditione insignitus praebuerunt ei aequam religiosam educationem, cuius gratia usque ad vitae suaे finem novit proximo indigentiori attendere, solidalem esse bonaque cum aliis communicare. Primis in rudimentis fidei suscipiens magni momenti fuit eius avia Seraphina. Patre orbata, vix expletis primis scholis, puella coepit matrem aliasque duos fratres in campestribus et domesticis operibus adiuvare. Adolescens clam Dominum Iesum ex toto suo puro corde diligebat ideoque clare et intente vocationem sentiit ad vitam consecratam atque conata est Congregationem Sororum Franciscanarum a Lilio ingredi. Attamen, cum communistarum regimen aliquos annos ante Ecclesiae Catholicae in Romania cunctas vitae religiosae formas suppressisset, hoc eius desiderium fieri non potuit. Moderator spiritus suadente, septemdecim annos nata nomen dedit Ordini Franciscano Saeculari neconon Militiae Immaculatae. Hoc tempore votum castitatis secreto emisit vitamque spiritualibus rebus et indigentioribus hominibus vacare coepit. Recessu invento in quadam cella iuxta domum paternam, suo divino Sponso Iesu Christo magis magisque se conformavit.

Intensiorem effecit orationem, potissimum pro episcopis et sacerdotibus tunc in carceribus a regimine iam detentis, lectionemque librorum spiritualium coluit, inter quos excelluit opus *Vita beatae Mariae Goretti*, quae eam aedificavit firmavitque in temptationibus. Una cum coetu consecratarum mulierum, quae in locum reversae sunt, cotidie summo mane ibat in ecclesiam paroecialem loci *Hălăucești*, quae aberat octo chiliometra, ut Sanctam Missam participaret. Penuriam videns sacerdotum, Venerabilis Serva Dei toto corde incubuit religiosae educationi parvulorum et adolescentium, eos docens catechismum veraque christiana bona, quae eos hortabatur vivere et colere ut fideles christiani probique cives fierent. Sedulo aegrotantes atque aetate provectos sui pagi invisebat. Licet in domo religiosa morari non posset, vixit uti virgo plane Deo consecrata, constanter aliis se dedicans, splendens alta humilitate ac magnanimitate, nihil quaerens nisi regni Dei aedificationem in suis fratribus, sine discretione inter fideles ad Ecclesiam Catholicam vel Orthodoxam pertinentes. In dies haec iuvenis “soror”, ut ab iis omnibus appellabatur qui eam noverunt, vinculum cum Domino roboravit, virtutes exercens haud communi modo, in cunctis Crucifixum imitari cupiens, sub luce spiritus Pauperculi Assisiensis, fundatoris Ordinis Franciscani Saecularis, ad quem ipsa pleno iure pertinebat. Sed in prospectu christifidelium in Romania nubes usque densiores apparebant persecutionis quae fere milionem christianorum turbavit, inter quos praestant Episcopi Ecclesiae Catholicae in Romania tum ritus Byzantini tum ritus Latini. Quoad vitam consecratam, non tantum suppressi sunt ordines et congregaciones, sed etiam in vincula comprehensa est maior pars religiosorum. Interea vespere diei xxiv mensis Augusti anno MCMVIII, dum Venerabilis Serva Dei redibat domum post sanctam Missam, quidam iuvenis inter campos aggressus est eam attentans ipsi castitatis dotem eripere, quam valde amabat. Coram huiusmodi feroci violentia Veronica virtutem suam dignitatemque defendit, ac post immanem obscientiam obiit quadraginta duobus ictibus cultri transfossa. Insequenti mane inventa est, coronam rosarii manibus stringens atque cum scapo granturci in forma crucis super tergum.

Martyrii Servae Dei fama celeriter in communitate christiana diffusa est. Quam ob rem apud Curiam ecclesiasticam Iasensem a die xxv mensis Novembbris anni MMIII ad diem xi mensis Novembbris anni MMVI peracta est Inquisitio diocesana, cuius vim iuridicam Congregatio de Causis Sanctorum die xxiv mensis Maii anno MMVIII decreto approbavit. *Positione* confecta, die

ii mensis Februarii anno MMXVII habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum, in quo prospero cum exitu disceptatum est de martyrio Servae Dei. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die IX mensis Ianuarii anno MMXVIII coadunati, professi sunt memoratam Servam Dei interfectam esse in odium fidei, pro defensione suaे castitatis. Exinde Nos facultatem fecimus Congregationi de Causis Sanctorum ut Decretum de martyrio ederet. Insuper decrevimus ut beatificationis ritus celebraretur die xxii mensis Septembris anno MMXVIII in ecclesia paroeciali dedicata Dormitioni Beatae Mariae Virginis oppidi Nisporeşti, dioecesis Iasensis, in Romania.

Hodie igitur in supra dicta ecclesia paroeciali de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Becciu, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Veronicam Antal in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Petri Gherghel, Episcopi Iasensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium expletentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Veronica Antal, virgo et martyr, christifidelis laica ex Ordine Franciscano Saeculari, quae animo fide incenso usque ad martyrium suam consecrationem Domino Iesu defendit, Beatae nomine in posterum appelletur atque die vicesima sexta mensis Augusti quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxii mensis Septembris, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco ☒ Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 425.578*

## IV

**Venerabilibus Servis Dei Theodoro Illera Olmo, S.P. ad V., sacerdoti, et XV  
§ 1. In order to admit candidates to Holy Orders the Ordinary must obtain the consent of the Governing Council. In consideration of Anglican ecclesial tradition and practice, the Ordinary may present to the Holy Father a request for the admission of married men to the presbyterate in the Ordinariate, after a process of discernment based on objective criteria and the needs of the Ordinariate. These objective criteria are determined by the Ordinary in consultation with the local Episcopal Conference and must be approved by the Holy See.

§ 2. Those who have been previously ordained in the Catholic Church and subsequently have become Anglicans, may not exercise sacred ministry in the Ordinariate. Anglican clergy who are in irregular marriage situations may not be accepted for Holy Orders in the Ordinariate.

§ 3. Presbyters incardinated in the Ordinariate receive the necessary faculties from the Ordinary.

*Article 7*

§ 1. The Ordinary must ensure that adequate remuneration be provided to the clergy incardinated in the Ordinariate, and must provide for their needs in the event of sickness, disability, and old age.

§ 2. The Ordinary will enter into discussion with the Episcopal Conference about resources and funds which might be made available for the care of the clergy of the Ordinariate.

§ 3. When necessary, priests, with the permission of the Ordinary, may engage in a secular profession compatible with the exercise of priestly ministry (cf. *CIC*, can. 286).

*Article 8*

§ 1. The presbyters, while constituting the presbyterate of the Ordinariate, are eligible for membership in the Presbyteral Council of the Diocese in which they exercise pastoral care of the faithful of the Ordinariate (cf. *CIC*, can. 498, §2).

§ 2. Priests and Deacons incardinated in the Ordinariate may be members of the Pastoral Council of the Diocese in which they exercise their ministry, in accordance with the manner determined by the Diocesan Bishop (cf. *CIC*, can. 512, §1).

*Article 9*

§ 1. The clerics incardinated in the Ordinariate should be available to assist the Diocese in which they have a domicile or quasi-domicile, where it is deemed suitable for the pastoral care of the faithful. In such cases they are subject to the Diocesan Bishop in respect to that which pertains to the pastoral charge or office they receive.

§ 2. Where and when it is deemed suitable, clergy incardinated in a Diocese or in an Institute of Consecrated Life or a Society of Apostolic Life, with the written consent of their respective Diocesan Bishop or their Superior, can collaborate in the pastoral care of the Ordinariate. In such case they are subject to the Ordinary in respect to that which pertains to the pastoral charge or office they receive.

§ 3. In the cases treated in the preceding paragraphs there should be a written agreement between the Ordinary and the Diocesan Bishop or

the Superior of the Institute of Consecrated Life or the Moderator of the Society of Apostolic Life, in which the terms of collaboration and all that pertains to the means of support are clearly established.

*Article 10*

§ 1. Formation of the clergy of the Ordinariate should accomplish two objectives: 1) joint formation with diocesan seminarians in accordance with local circumstances; 2) formation, in full harmony with Catholic tradition, in those aspects of the Anglican patrimony that are of particular value.

§ 2. Ordinariate Seminarians will receive their theological formation with other seminarians at a seminary or theological faculty in agreement with the Diocesan Bishop or Bishops concerned. Candidates may receive other aspects of priestly formation at a seminary program or house of formation established, with the consent of the Governing Council, expressly for the purpose of transmitting Anglican patrimony.

§ 3. The Ordinariate must have its own Program of Priestly Formation, approved by the Holy See; each house of formation should draw up its own rule, approved by the Ordinary (cf. *CIC*, can. 242, §1).

§ 4. The Ordinary may accept as seminarians only those faithful who belong to a personal parish or community of the Ordinariate or who were previously Anglican and have established full communion with the Catholic Church.

§ 5. The Ordinariate sees to the continuing formation of its clergy, through their participation in local programs for formation provided by the Episcopal Conference and the Diocesan Bishop, as well as in their own programs of ongoing formation.

**FORMER ANGLICAN BISHOPS***Article 11*

§ 1. A married former Anglican Bishop is eligible to be appointed Ordinary. In such a case he is to be ordained a priest in the Catholic Church and then exercises pastoral and sacramental ministry within the Ordinariate with full jurisdictional authority.

§ 2. A former Anglican Bishop who belongs to the Ordinariate may be called upon to assist the Ordinary in the administration of the Ordinariate.

§ 3. A former Anglican Bishop who belongs to the Ordinariate and who has not been ordained as a bishop in the Catholic Church, may request permission from the Holy See to use the insignia of the episcopal office.

## THE GOVERNING COUNCIL

### *Article 12*

§ 1. The Governing Council, in accord with Statutes which the Ordinary must approve, will have the rights and responsibilities accorded by the Code of Canon Law to the College of Consultors and the Presbyteral Council.

§ 2. In addition to these responsibilities, the Ordinary needs the consent of the Governing Council to:

- a. admit a candidate to Holy Orders;
- b. erect or suppress a personal parish;
- c. erect or suppress a house of formation;
- d. approve a program of formation.

§ 3. The Ordinary also consults the Governing Council concerning the pastoral activities of the Ordinariate and the principles governing the formation of clergy.

§ 4. The Governing Council has a deliberative vote:

- a. when choosing a *terna* of names to submit to the Holy See for the appointment of the Ordinary;
- b. when proposing changes to the Complementary Norms of the Ordinariate to present to the Holy See;
- c. when formulating the Statutes of the Governing Council, the Statutes of the Pastoral Council, and the Rule for houses of formation.

§ 5. The Governing Council is composed according to the Statutes of the Council. Half of the membership is elected by the priests of the Ordinariate.

## THE PASTORAL COUNCIL

### *Article 13*

§ 1. The Pastoral Council, constituted by the Ordinary, offers advice regarding the pastoral activity of the Ordinariate.

§ 2. The Pastoral Council, whose president is the Ordinary, is governed by Statutes approved by the Ordinary.

**THE PERSONAL PARISHES***Article 14*

§ 1. The pastor may be assisted in the pastoral care of the parish by the parochial vicar, appointed by the Ordinary; a pastoral council and a finance council must be established in the Parish.

§ 2. If there is no vicar, in the event of absence, incapacity, or death of a pastor, the pastor of the territorial parish in which the church of the personal parish is located can exercise his faculties as pastor so as to supply what is needed.

§ 3. For the pastoral care of the faithful who live within the boundaries of a Diocese in which no personal parish has been erected, the Ordinary, having heard the opinion of the local Diocesan Bishop, can make provisions for quasi-parishes (cf. *CIC*, can. 516, §1).

**THE CELEBRATION OF DIVINE WORSHIP***Article 15*

§ 1. *Divine Worship*, the liturgical form approved by the Holy See for use in the Ordinariate, gives expression to and preserves for Catholic worship the worthy Anglican liturgical patrimony, understood as that which has nourished the Catholic faith throughout the history of the Anglican tradition and prompted aspirations towards ecclesial unity.

§ 2. Public liturgical celebration according to *Divine Worship* is restricted to the Personal Ordinariates established under the Apostolic Constitution *Anglicanorum coetibus*. Any priest incardinated in an Ordinariate may celebrate according to *Divine Worship* outside the parishes of the Ordinariate when celebrating Mass without a congregation, or publicly with the permission of the rector/pastor of the corresponding church or parish.

§ 3. In cases of pastoral necessity or in the absence of a priest incardinated in an Ordinariate, any priest incardinated in a Diocese or in an Institute of Consecrated Life or Society of Apostolic Life may celebrate according to *Divine Worship* for members of the Ordinariate who request it. Any priest incardinated in a Diocese or in an Institute of Consecrated Life or Society of Apostolic Life may concelebrate Mass according to *Divine Worship*.

*The Supreme Pope Francis, at the Audience granted to the undersigned Cardinal Prefect on March 8, 2019, approved this updated version of the Complementary Norms for the Apostolic Constitution Anglicanorum coetibus, adopted in the Ordinary Session of the Congregation, and ordered its publication.*

*Rome, from the Offices of the Congregation for the Doctrine of the Faith, March 19, 2019, the Solemnity of St. Joseph, Spouse of the Blessed Virgin Mary and Patron of the Universal Church.*

LUIS F. Card. LADARIA, S.I.  
*Prefect*

✠ GIACOMO MORANDI  
*Archbishop tit. of Cerveteri  
Secretary*

# CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

## CRACOVIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Aloisii Kosiba (in saeculo: Petri) Laici professi Ordinis Fratrum Minorum (1855-1939)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Fratres... tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo» (*Regula Bullata S. Francisci Assisiensis*, Cap. VI).

Servi Dei Aloisii Kosiba sanctitatis iter absoluta in adhaesione religiosae vocationi perfectum est, in Christi pauperis et crucifixi sequela secundum vitae rationem a sancto Francisco Assisiensi sua in Regula instructam. Ut deceat vero fratri minori, in hoc mundo peregrino, ipse multos per annos et heroica fidelitate humili munere mendicantis functus est, uti sincerus caritatis minister, omnino ad effectum perducens illam Evangelii beatitudinem, quam Iesus discipulis suis proposuit dicens: *Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur* (*Mt 5, 7*).

Servus Dei die 29 mensis Iunii anno 1855 in pago v.d. *Libusza*, in finibus dioecesis Tarnoviensis, ex parentibus ardentibus christianis Ioanne et Agneta Tomalska natus est eodemque die, Petri nomine, paroeciali in ecclesia sacro fonte lustratus est.

Ne tertio quidem anno aetatis suae matre orbatus, vigilanti sub patris et secundae eius uxoris conspectu adolevit. Pagi in paroecia primam habuit institutionem humanam atque sacramentis corroboratus est. Ex familia didicit moderatione vivere, plurimi operam existimare, aliorum necessitates percipere. Expeditissimus studiis, ad quae tamen tenuitate rei familiaris attendere nequiiit, sutrinam cognitam duos annos Tarnoviae fecit.

Iam a pueritia exoptavit ut sacerdos fieret sed cum cognitum habuisset seminarium se ingredi nequire, uti simplex religiosus Dominum sequi statuit. Hac re mense Maio anni 1878 petivit ut inter Fratres Minores Reformatos

Provinceiae Mariae Sanctissimae Perdolentis admitteretur et, expleto tempore probationis apud conventum Iaroslaviae, ad conventum Vieliscae migrare iussus est, ibique in noviciatum admissus est. Nomen Aloisii sumpsit et die 22 mensis Septembris anno 1880 vota simplicia nuncupavit, die autem 14 mensis Maii anno 1885 sollemnem professionem emisit.

Singulari superiorum consilio frater Aloisius totam suam per vitam in conventu Vieliscae, ubi noviciatus erat, mansit ut clarissimis suis virtutibus suboles Ordinis confirmaret. Nam Servus Dei orationis et silentii amantissimus erat necnon Regulae observantissimus. Primo mane surgebat et usque serum ad vesperum officio suo incumbebat. Pauperem tunicam induebat et in cella omnino inornata habitabat, ad communia officia semper ad tempus adveniebat et ad varia domus munera libenter se offerebat, nempe ex apium cura ad cingulorum fabricationem. Semper benevolus confratribus et serena laetitia plenus fuit.

Praecipuum apostolatus munus, cui sexaginta per annos vitae a Domino destinatus est, fuit stipis collectio, per quam frater Aloisius genti proximus fuit et animum ad exercitium humanarum christianarumque virtutum constanter attendit, fructus verae et heroicae oboedientiae consequens. Servus Dei quamcumque domum singillatim visitando, laetitia, humilitate ac amabilitate sua certissimus evasit Evangelii praedicator. Franciscanae Regulae praecepta exsequendo, cum manum suam, Christi paupertatis amore, porrigebat, modestia stipem a bonis accipiebat et eodem tempore evangelicam sapientiam, qua Dominus eum copiose ditaverat, largiebatur. Omni die in multiplices ac varias humanas res incidebat, frater Aloisius ad fidem exhortabatur et ad Dei praeceptorum observantiam admonebat, ad reconciliationem invitabat, dubitantes consilio iuvabat denique orationem semper interponebat, cui omnes devote se coniungebant.

Devotus Ecclesiae filius, scripta edita diffundebat ad conscientias bene instituendas vocationesque sacerdotalem ad vitam et religiosam fovebat, cum iuvenibus disserendo de pulchritudine se consecrandi ad Dei ministerium. Eius praesentia pueris laetitiam afferebat, aegrotos autem solabatur. Eius ratio spiritualibus in egestatibus subveniendis etiam corporales indigentias mulcebat, ita haud raro pauperibus occurrendo sua ex pera aliquid extrahebat ut indigentes fratres de eadem caritate cum eo participarent.

Stipis collectio Servo Dei schola fuit humilitatis, quia interdum reiebatur et iniuriis atque vexationibus offendebatur, quas ipse statim pro Dei amore valuit ignoscere. Dum varios per locos iter faciebat, rosarium ac franciscanam coronam se modeste orantem ac inutiles sermones despiciens praebebat. Eundem spiritum devotionis etiam in conventu ostendebat, ubi nisi operibus incumbens, certissime in ecclesia ante Sanctissimum Sacramentum vel Virginis Mariae simulacrum inveniebatur.

Singulari modo pauperes, quibus sua deambulatione ad stipem quaerendam proderat, diligebat atque etiam in conventu apud ostiarii cellam eos recipiebat et adiuvabat, eosque appellabat “*meos dominulos*”. Die 4 mensis Ianuarii anno 1939 octogesimo quarto anno aetatis suae, cum ab extrema sua ambulatione ad stipem quaerendam rediit, facta generali confessione et sancto Viatico accepto, frater Aloisius animam suam Domino reddidit. Illa enim vice ante tempus rediit, dicens: «Cito moriturus sum et in *conventu mori volo*». Multitudo hominum commota ac orans eius exequiis interfuit, evulgans illius famam sanctitatis, quae semper in vita Servum Dei comitata erat.

Hac re, aucta hac fama, ab anno 1963 ad annum 1966 apud Curiam ecclesiasticam Cracoviensem Ordinarius Informativus Processus celebratus est. Et nova lege obtemperata, inter annum 2000 et annum 2001 Suppletiva Inquisitio ad historica documenta colligenda habita est. Quorum omnium iuridicam validitatem haec Congregatio de Causis Sanctorum per decretum diei 4 mensis Iunii anno 2004 approbavit. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisse. Die 14 mensis Iunii anno 2016 Consultorum Theologorum Congressus prospero cum exitu locum habuit. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 4 mensis Iulii anno 2017, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexit, in gradu heroico, Servi Dei Aloisii Kosiba (in saeculo: Petri), Laici Professi Ordinis Fratrum Minorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Iulii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## SANCTI IOANNIS IN BRASILIA

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Donizetti Tavares de Lima Sacerdotis dioecesani (1882-1961)**

### **DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Lex veritatis fuit in ore eius, et iniq[ue]itas non est inventa in labiis eius; in pace et in aequitate ambulavit mecum et multos avertit ab iniq[ue]itate» (*Mal 2, 6*).

Insigne totius Servi Dei Donizetti Tavares de Lima spiritualitatis fuit eius constans inquisitio evangelicae perfectionis. Eius praestantissimae humanae facultates necnon christiana[rum] et sacerdotiales virtutes toto eius in cursu vitae clare enitent et in ministerium fidelium multitudinis redundaverunt.

Servus Dei in pago v.d. *Cássia* in statu Minarum Generalium in Brasilia die 3 mensis Ianuarii anno 1882 natus est. Eius pater causidicus, cum musicae flagrantissimo amore incensus esset, hoc nomen *Donizetti* filio imposuit, quod plane p[re]clarum Italicum compositorem designat. Adhuc puer eius familia in statum Sancti Pauli commigravit. Duodecimum aetatis annum agens, Seminarium dioecesanum ingressus est ibique organistae munere necnon musicae magistri aliorum suorum condiscipulorum functus.

Anno 1900 se adscripsit facultati Iuris Status Universitatis, sed aliquibus post annis, signis vocationis sacerdotalem ad vitam perceptis, studia philosophica et theologica ad sacerdotium preparatoria incepit. Incardinatus dioecesi de *Pouso Alegre*, sacro ordine die 12 mensis Iulii anno 1908 auctus est. Cum autem nova dioecesis Campinensis erecta est, episcopum suum Excellentissimum dominum Ioannem Baptistam Correa Nery secutus est et ad paroeciam pagi v.d. *Jaguray* destinatus. Anno autem 1909 parochus pagi v. *Vargem Grande do Sul* in dioecesi de *Ribeirão Preto* nominatus est eidemque dioecesi incardinatus.

Servus Dei suum sacerdotium in plenitudine contra quodvis disserimen tam sociale quam stirpis traduxit et parochus fuit omnium, sui gregis necessitatum particeps. Illo tempore, uberrimo cum fructu, Litteras Encyclicas *Rerum novarum* perlegit, quae humanitatem eius erga tenuiorem socialem ordinem maiorem auxit sollicitavitque. Servus Dei vehementi apostolatus navitati omnino se tradidit magnamque auctoritatem habuit etiam super so-

cialeм vitam illius civitatis. Vir clarus fuit et eius vitae consuetudo singularis cohaerentiae, numquam destitit pauperum et operariorum iura defendere. Hoc non paucas difficultates cum divitibus et ergolabis ei attulit. Illis enim in annis Brasilia a legibus servitutem comprobantibus liberatura erat magnaque perturbatio iniusticias necnon debiliorum hominum usum generabat.

Inter opera sua Servus Dei ecclesiam paroecialem et sacella Dominae Nostrae Apparitionis et Sancti Benedicti Mori Patavini aedificavit.

Anno 1926 ei iussum est transferri ad paroeciam Sancti Antonii ad pagum *Tambau* ut parochi munus exerceret. Illic pro pauperibus, senibus, aegrotis et pueris non desiit operare. Gerontocomium Sancti Vincentii a Paulo pro senibus pauperibus fundavit, *Consociationem ad Maternitatem et Infantes Tuendos* instituit una cum asylo pro pueris, cum dispensario ad alimenta pauperibus dispertienda et denique cum Sodalicio pro Officinarum Operariis. Ad usum iuvenum instituit et bene apparavit pedefolli ludentium turmam, manum aeneatorum, Marianam Congregationem et Filias Mariae ut societatem humane et christiane foveret.

Iuvenibus semper circumdatus, exemplo et sermone suo ad studia et ad artes eosdem initiatibat vocationesque religiosas haud praetermittebat. Quamvis sua sponte paupertate viveret, adeo patrimonium optime administravit, ut paroeciae bona valde augeret, quorum fructus socialibus in operis collocabat. Acquirebat agros et domus pro illis qui nihil possidebant.

A die 30 mensis Maii anno 1954 ad eandem diem in sequentis anni in medio fuit magnae peregrinorum frequentiae, qui voce eius miraculorum allecti erant, ipsem tamen hanc immodicam populi admirationem desecuit peregrinationesque omnes dempsit.

In fide penitus defixus, Reverendus Dominus Donizetti sincera in communione cum Domino vixit et ad imitationem Crucifixi ignovit illis, qui aperte vel per devia ei difficultates et aegritudines attulerant. Humilitate et perseverantia ad tantam pervenit maturitatem spiritualem, ut in oratione una cum magna humanitate et benignitate in ministerio eam exprimeret. Indefessa eius navitas super firmissimam eius spem fundabatur, populo suo paterna cura consuluit, ad quem constans et credibile testimonium Christi semper perhibuit. Quaestionibus et difficultatibus semper oppressus, caput et fundamentum valuit esse capax ad spem, vitae laetitiam et pacem diffundendam atque vera eius fuit amoris rerum conversio, quae propositis vitae et itineribus veri progressus favit.

Servus Dei, magna fama sanctitatis circumfusus, die 6 mensis Iunii anno 1961 in pago *Tambaú* mortali e vita discessit.

Fama sanctitatis a die 5 mensis Martii anno 1992 ad diem 16 mensis Maii anno 2009 iuxta Curiam ecclesiasticam Sancti Ioannis in Brasilia Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 29 mensis Octobris anno 2010 est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 17 mensis Novembris anno 2016 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 26 mensis Septembris anno 2017 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amatus praefui, Servum Dei heroicum in gradum theologales, cardinales eisque adnexas virtutes exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Donizetti Tavares de Lima, sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## VARSAVIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Elisabethae Czacka (in saeculo: Rosae)  
Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium Ancillarum Crucis (1876-1961)**

### **DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis» (*Ps 119, 105*).

Quamquam naturale lumen omnino defuit in vita Servae Dei Elisabethae (in saec: Rosae Czacka), fidei tamen lumen, crebra divini verbi auscultatione altum, eam semper comitatum est et eam veracem fecit testem Christi, qui est vera lux mundi, cui totam se ipsam consecravit.

Serva Dei die 22 mensis Octobris anno 1876 parvo Ucrainae in oppido v.d. *Biała Cerkiew* nata est, ultima ex quattuor filiis, in clara familia quae illis temporibus nuper in nobilitatis honorem sublata erat.

Hic humanis paeceptis virtutibusque christianis optime instituta est a parentibus, qui anno 1882 Varsaviam migraverunt.

A pueritia Rosa affecta est oculorum morbo qui videndi facultatem, cum equo cecidisset, in annos minuebat, adeo ut anno 1898 lumine naturali orbata sit. Hoc etiam facto, eius invaluit cura et propensio ad interiorem vitam, ad orationem et ad inquisitionem vocationis eius.

Saeculo vicesimo ineunte, Serva Dei incepit incumbere in opera pro auxilio caecorum et ad hoc efficiendum anno 1909 una cum aliis amicis consociationem fundavit, deinde domum instituit ad iuvenes mulieres caecas recipiendas, ut iisdem novae occasiones etiam quoad laborem porrigerentur.

Anno 1915 Serva Dei in Ucrainam se contulit cuiusdam nepotis ut Primae Communioni interesset, sed cum primum bellum mundanum exarsisset, tres annos domum redire nequivit. Quo tempore sacerdotem quendam cognovit qui ad Sancti Francisci spiritualitatem eam vertit. Anno 1916 Tertium Ordinem Sancti Francisci ingressa primaque vota professa est, religiosum nomen Elisabethae suscipiens. Varsaviam redita, ad effectum hanc operam suam perduxit, fundans Institutum Sororum Franciscalium Ancillarum Crucis, cuius constitutiones anno 1922 approbatae sunt. Beneficus homo fundum donavit iuxta locum v.d. *Laski*, super quem conditum est Institutum pro caecis assidendis neonon Domus Mater Congregationis postea aedificata est. Illis quidem annis Serva Dei valetudine pessima fruebatur ob quasdam molestias

et ad duos malos tumores extirpandos chirurgicae sectioni subiecta est.

Anno 1937 Serva Dei, Arce Gandulphi, Summum Pontificem Pium XI visitavit, quem iam cognoverat cum Nuntius Apostolicus fuisse in Polonia, et a quo adhortata et sustentata erat ut Institutum fundaret. Duos post annos, cum bellum mundanum exardesceret, Institutum factum est valetudinarium in quo sorores vulneratos curabant idque postea, pugna flagrante, deletum est. Sorores Varsaviam reversae sunt sed illic quidem aerumnae non defuerunt, quia anno 1939 ipsa Serva Dei, quadam pyrobolorum in coniectione, vulnerata est.

Post nazistarum occupationem Serva Dei et sorores sustinuerunt etiam, quoad logisticam, Polonus tectos bellatores, cum auxilio cappellani, futuri Cardinalis, Stephani Wyszyński. Expleto terribili bello, omnes variae operae, quantum fieri poterat, sub communistarum regimine reficiebantur.

Serva Dei mulieris religiosae exemplar evadit, sedula in animarum cura, sedulo exercens vitam orationis et ferventem amorem erga Deum et proximum. Cotidianum virtutum exercitium omni suae vitae consentaneum fuit. Domini Iesu praesentiae sua in communitate et opera assistentiali testimonium eximium assidue praebuit, indefessa fuit educatrix atque humanae et spiritualis promotionis faatrix, omnes excipiendo bonitate et prudentia. Admodum fidei suae semper persuasa fuit, cohaerenter suae vitae consecratae fundamenta custodivit et usque ad heroicitatem amoris oblationis persecuta est.

Sua in vita Serva Dei multarum suarum et societatis difficultatum solutiones exquisivit in fide et in alta spirituali vita, quae super firma fundamenta posita sunt, scilicet super sui fidam commendationem divinae Providentiae, super orationem et contemplationem, super devotionem eucharisticam necnon mariale cultum, super spiritum mortificationis et ministerii et denique super vitae rationem humilem, austera et castam. Maxime tempore cum longo et acerbissimo morbo, qui eam ad mortem perducet, laborabatur, ipsamet Crucis in mysterium pervasit, Iesu Christi sensus omnino participans (cfr *Phil 2, 5*).

Anno 1948 Serva Dei sanguinis eruptione affecta fuit et duos post annos Institutum regere desiit.

Eius valetudo gradatim in peius mutavit, eius tamen spiritualis natura non debilitabatur. Die 15 mensis Maii anno 1961 Varsaviae mortali e vita exivit.

Fama sanctitatis eius perdurante, a die 22 mensis Decembris anno 1987 ad diem 26 mensis Iunii anno 1995 apud Curiam ecclesiasticam Varsavensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per Decretum diei 2 mensis Octobris anno 1995 est approbata. Exarata *Positione*, secundum consuetas normas disceptatum est an Serva Dei heroum in gradum virtutes excoluisse. Positivo cum exitu die 20 mensis Septembris anno 2016 Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 3 mensis Octobris anno 2017, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexit, in gradu heroico, Servae Dei Elisabethae Czacka (in saeculo: Rosae), Fundatricis Congregationis Sororum Franciscalium Ancillarum Crucis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## MONTIS PESSULANI

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Franciscae a Sancto Spiritu (in saeculo: Carolinae Baron) Fundatricis Instituti Tertii Ordinis Sancti Francisci de Monte Pessulano (1820-1882)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere» (*Io 15, 5*).

Iam ab infantia Serva Dei Francisca a Sancto Spiritu, in saeculo Carolina Baron, toto animo exoptavit ut soli Iesu esset. «Rex regum, corde meo in perpetuum potitus est»: haec erat sententia, qua ea vitae suaे propensionem explanabat. Serva Dei Domini passionem meditando suo cotidiano Viae Crucis exercitio, experta est artissimam communionem dolenti cum Iesu et Eucharistiam adorando Dei praesentiae mysterium, authenticum fontem totius suaे actionis, contemplavit.

Serva Dei die 12 mensis Decembbris anno 1820 in pago v.d. *Mailhac*, Gallica in regione Occitana et Ruscinensi, maxima natu Antonii Baron et Franciscae Rosae Iustinae Graniet, qui duas postea filias generaverunt. Eodem die nativitatis et sacro fonte lustrata est. Parentes primitus eam ad fidem instituerunt. Ab anno 1825 ad annum 1830 ludum frequentavit apud Sorores Nostrae Dominae Narbone deinde scholam Sororum Sancti Ioseph dictarum Lugdunensium in pago v.d. *Saint-Pons*, illic duodecimum aetatis suaे agens annum primitus ad sanctam Eucharistiam accessit. Postquam magisterii diploma consecuta esset, religiosa vocatione permota, petivit ut inter Sorores Sancti Ioseph admitteretur. Anno 1837 novum nomen Sororis Mariae Antonillae et religiosam vestem accepit, et denique mense Septembri anno 1840 religiosam professionem emisit.

Ei munus docendi in pago *Montpeyroux* commissum est. Cum autem munere optime fungeret, anno 1847 ei assignaverunt rectionem insignioris scholae oppidi *Bédarieux*, quam usque ad annum 1851 moderata est. Eius felices exitus in docendo suspiciones et contumelias quasdam a sororibus eius patratas excitaverunt eo ut ei iussum sit remigrare ad nativum locum *Mailhac*, ubi adiutrix et magistra noviciarum nominata est. Anno 1856 ei commissa est fundatio scholae pagi *Lézignan*, iuxta locum *Mailhac*, apud antiquum monasterium Sororum Sanctae Clarae, tempore eversionis Galli-

cae, suppressum. In via e domu ad scholam erat sacellum Tertii Ordinis Sancti Francisci in quo assidue ea in oratione commorabatur. Illic se nutrit vit spiritualitate sancti Francisci Assisiensis, maximopere Viae Crucis piae devotionis exercitium secuta est.

Serva Dei attraxit consensus ac benevolentiam alumnarum et familiarum neconon existimationem ecclesiasticorum loci, quia magna vi institutioni iuvenum interfuit, et parochi rogatu curam consociationis Sancti Mauricii suscepit. Res omnino prospere successit, existimationes quoad rationem paedagogicam et religiosam obtinuit, una cum invidiis, magis quam in oppido *Bédarieux*, ob novitatem apostolatus inter pueros. Res tam difficilis et acerba facta est ut episcopus ei proponeret ut ex communitate exiret, vestem tamen servando cum facultate regrediendi suam in familiam. Cum vero Serva Dei utroque parente careret, apud materteram in oppido *Béziers* recepta est.

Illis in adjunctis Serva Dei duos sacerdotes cognovit, qui eam exhortati sunt ut in Gallia meridiana Institutum Sancti Francisci fundaret. Tertio Ordini Sancti Francisci se adscripsit et poenitentiae vestem induit, sibi nomen imposens Franciscae a Sancto Spiritu. Eruens ergo consilio et auxilio Fratrum Capuccinorum Tolosanorum, inchoavit novam religiosam Congregationem, scilicet Institutum Sororum Tertii Ordinis Sancti Francisci. Serva Dei una cum aliis tribus sociis domum in pago Sancti Aniani uti sedem constituit et ibique scholam fundavit. Ipsa Superiorissa Generalis electa est et Generalibus a Capitulis hoc in munere unanimiter confirmata est usque ad extremum capitulum anno 1878. Difficilibus in rebus primorum annorum Congregationis Serva Dei sano iudicio discrevit, Dei tantum voluntatem perficiendo et sapientia ac animo bonum Sororum et Instituti fovendo.

Post Capitulum Generale celebratum anno 1878 Serva Dei graves valetudinis confirmationes, quae sorores sollicitaverunt, ostendit. Se aliquo tempore refici ac curare debuit apud oppidum *Lamalou-les-bains*. Singulos per annos illuc se contulit, numquam tamen vires reintegrando. Quattuor enim fuerunt anni aegrotationum sine intermissione.

Eius absoluta consecratio Christo, quae ne in obscuris vel acerbis rebus quidem defecit, refulsit sua in deditione Dei voluntati, quae suas per mediationes in Ecclesia et oboedientia filiali ipsi auctoritati exprimebatur. Una cum hac ecclesiali spirituali lineamento Serva Dei contemplationem et actionem in instituendi studio exemplo ac verbo feliciter concretere valuit. Singularis experientia communionis cum Domino eius vitam constanter

excitavit. Die 17 mensis Decembris anno 1882 extremam orationem habuit ad sorores suas de pulchritudine eorum vocationis industriam vitam et contemplativam coniungentis.

Nocte Nativitatis diei Sanctae Missae interfuit omnibusque consororibus congregati ipsamet voluit, a quibus petivit ut aliqua canerent. Mane extrema sacramenta ei, in plenitudine conscientiae, impertita sunt. Die 28 mensis Decembris anno 1882 in pago Sancti Aniani mortua est.

Fama sanctitatis perdurante, a die 3 mensis Aprilis anno 1959 usque ad diem 29 mensis Novembris anno 1966 apud Curiam dioecesanam Montis Pessulani Processus Ordinarius Informativus celebratus est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum die 3 mensis Februarii anno 1995 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas diceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu, die 5 mensis Aprilis anno 2016 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 7 mensis Novembris anno 2017 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei heroicum in gradum theologales, cardinales eisque adnexas virtutes exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexit, in gradu heroico, Servae Dei Franciscae a Sancto Spiritu (in saeculo: Carolinae Baron), Fundatricis Instituti Tertiī Ordinis Sancti Francisci de Monte Pessulano, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. & S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## CRACOVIENSIS SEU LEOPOLITANA LATINORUM

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Seraphini Aloisii Kaszuba (in saeculo: Aloisii Casimiri) Sacerdotis professi ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum (1910-1977)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet» (*Lc 9, 58*).

Servus Dei Seraphinus Aloisius Kaszuba (in saeculo: Aloisius Casimirus) *Dei vagabundus* appellatus, vir confirmata fide, religiosus oboediens et sacerdos apostolico zelo plenus fuit. Et inter aerumnas fidei in Iesum Christum testimonium animi firmitudine perhibuit.

Servus Dei die 17 mensis Iunii anno 1910 Leopoli, olim Poloniis in limitibus, nunc Ucrainis, ultimus quattuor filiorum, e Carolo operario et Anna Horak, utroque sodale Tertii Ordinis Sancti Francisci, natus est eodemque die sacro fonte lustratus. Servus Dei puer erat tranquillus, studiosus et valde religiosus. Anno 1919, repentina fratris sui morte perturbatus est, ita ut, sequente anno, morbus ei accederet, qui eum correpsit et fere ad mortem perduxit. Sua prima studia apud Patres Capuccinos, qui eius paroeciam administrabant, et deinde apud Leopolitanum gymnasium confecit. Postquam diploma adeptus esset, ut exciperetur inter patres Capuccinos petivit, cum signa vocationis consecratam ad vitam percepisset. Die 20 mensis Augusti anno 1928 religiosa veste induita, Seraphini nomen sumpsit. In Cracoviam una cum omnibus aliis noviciis in vere anni 1929 migrare iussus est, die autem 10 mensis Septembris temporaria vota emisit, quae die 9 mensis Septembris anno 1932 professione perpetua confirmavit. Fere duos post menses diaconali ordine munitus est dieque autem 11 mensis Martii anno 1933 sacro presbyteratus ordine auctus est.

Praeter initii pastoralia munera Pater Seraphinus Polonicae Philologiae cursui Philosophicae facultatis Iagellonicae Universitatis se adscripsit, cuius die 17 mensis Iunii anno 1939 laurea potitus est. Expleto institutionis cursu, assistentis munere docere incepit. Superiores praeter praedicationem et confessionum auditionem ei commiserunt docendi munus in studentatu Patrum Capuccinorum in pago v.d. *Razwadów* et munus curandi commen-

tarios periodicos Cracoviensis Provinciae Fratrum Minorum Capuccinorum nomine nuncupatos *Seraphicus Volatus et Pax et Bonum*.

Cum secundum bellum mundanum exarsit, die 1 mensis Septembris anno 1939, Servus Dei Leopoli erat ut matri suae, quae post paucos menses moritura erat, assideret. Illic de Germanico incursu in Polonię audivit et eodem tempore, incusum militum Communistarum Sovieticorum in orientales regiones Poloniae et Leopolitanae civitatis ipse cognovit. Mox mortua matre, cuiusdam confratribus invitationi adnuit et sedem mutavit in pagum v.d. *Ludwipol* in Volhinia, sic incepit eius peregrinatio e paroecia in paroeciam, e pago in pagum, ut sacerdotum absentiis suppeditaret et constans periculum mortis fugeret, cum semper fuisse sub custodia et observatione manus militum dictorum *U.P.A.* scilicet Exercitus Seditiosus Ucrainus.

In diebus Sollemnitatis Nativitatis Domini Nostri, anno 1940 pervenit ad pagum dictum *Karasin*, sed cum bellum novam aciem inter milites Germanicos et Sovieticos produceret magna pars pagorum regionis Volhiniae vastata est, inter quos etiam pagus *Karasin*. Servus Dei una cum christifidelibus illius paroeciae confugit primum in *Bystrzyca* et deinde *Dermanka*, eosdem sustinuit et iisdem scholam apparavit. Mense Decembri anno 1941, falso crimine detinendi arma et radiophonum Ucrainis a militibus deprehensus est et deportatus ad pagum *Ludwipol*. In Nativitatis vigilia liberatus est, statim Polonicas familias, quae olim inter duo mundana bella trans limen Poloniae et Russiae erant, visitare incepit. Mense Novembri anno 1943, ob penuriam alimenti et precarias condiciones in valetudine tuenda typhii contagio ingruit, quae etiam Servum Dei affecit.

Vere anni 1944, post Germanorum exercitus recessum et propter Conferentiam Ialtensem, incepit Polonicis illa in regione tempus deportationum, quae simulate dicebantur: “*reditus*”. Etiam Servus Dei redire debuisset, sed voluit manere una cum hominum multitudine antea belli dolore et aerumnis affecta, nunc autem novo regimine, quod totam suam immanitatem ostendere incipiebat. Sic a mense Augusto anni 1945 ad mensem Aprilem anno 1958 Pater Seraphinus parochi munus gessit, operam pastoralem exercens non tantum sua in paroecia, sed etiam in propinquuis locis sacerdotibus parentibus, saepe longissima et extenuantia itinera agendo ut christianas communitates attingeret.

Anno 1956 auctoritas status eum denuo apprehendere statuit. Hac re, quibusdam etiam cum illecebris, sollicitatus est ad Sovietici nationis limi-

na relinquendum. Servus Dei huic voluntati non est obsecutus. Christiana communitate suffultus, apostolatum perrexit, saepe contra leges semperque locum suum mutando ne deprehenderetur. Postea tamen apprehensus et erroris damnatus est, ad pagum dictum *Arszatynsk* traductus ut quodam in pistrino operam daret. Anno 1974 phthisi correptus, sanatus est et suum ad apostolatum redire potuit.

His in eventis Servi Dei spiritualis imago clare decernitur. Pater Seraphinus firmatus in fide et in alto orationis spiritu, Iesu Christi optimus fuit imitator. Alacer, iucundus, magno animo se donando, patens culturae et humanissimus erga fratrum necessitates. Sua terrestri in peregrinatione facile invenitur ardens studium perfectionis, quae Sancti Francisci in regula indicata est et cuius gratia ad spiritualem maturitatem pervenit. Tam crudelis belli experientia quam et temporis illud sequentis inter aerumnas Servo Dei ad sanctitatem vera crux fuerunt, quem ipse amplecti valuit, divinae voluntati omnino se committens, serenitatis spiritus, humilitatis, paupertatis, prudentiae et denique oboedientiae testimonium perhibendo.

Post alias vicissitudines, die 19 mensis Septembris anno 1977, cum ex Leopoli ad pagum redibat, ob caeli statum pedes eius glacie riguerunt. Servus Dei a quadam catholica familia Ucraina hospitio exceptus est, sed sequenti nocte in cubiculo in quo degebat, mortali ex vita decessit.

Fama sanctitatis perdurante, a die 2 mensis Decembris anno 1992 ad diem 22 mensis Decembris anno 2001 apud Curiam Archiepiscopalem Cracoviensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 24 mensis Octobris anno 2007 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Positivo cum exitu die 21 mensis Februarii anno 2017 Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 26 mensis Septembris anno 2017 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Tempe-*

*rantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Seraphini Aloisii Kaszuba (in saeculo: Aloisii Casimiri), Sacerdotis professi ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## UTINENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Gregorii Fioravanti Sacerdotis professi ex Ordine Fratrum Minorum Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium Missionariarum Sacri Cordis (1822-1894)**

### **DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

« Multae cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit » (*Prv* 19, 21).

Ad Domini voluntatem conficiendam Servus Dei Gregorius Fioravanti sua vita et opera omnino nisus plenum testimonium Israëlis Sapientis praecepti perhibuit. Rebus in difficilibus inter adversa et instabilia adiuncta hominum voluntatum ipse docile Dei in manibus fuit instrumentum ut nova bona opera Franciscana in familia perficeretur. Ministri Provincialis Fratrum Minorum munere fungens, confratres sapientia et humilitate rexit, uti Fundator Sororum Franciscalium Missionariarum Sacri Cordis eas custodivit, protexit et apostolicum impulsum novae institutioni dedit, ita ut ea corroborari et augeri pro Dei regno posset.

Servus Dei die 24 mensis Aprilis anno 1822 in vico *Grotte di Castro*, Viterbensi in dioecesi, extremus novem filiorum ab Antonio et Maria Teresia Ruspantini natus est. Sequenti die sacro fonte lustratus est eique nomina Ludovici Anacleti Flavii Pauli imposita sunt; die autem 28 mensis Octobris anno 1826 sacram confirmationem accepit. Sexto aetatis suae anno matre orbatus, Dei in amore crevit in assidua oratione et industria. Decimo sexto aetatis anno inter Urbevetanos Fratres Minores de Observantia ingressus, Sancti Francisci sagum induit et fratris Gregorii nomine suscepto die 5 mensis Februarii anno 1839 sollemnem professionem emisit. Die autem 17 mensis Maii anno 1845 sacro ordine auctus est.

Primum Romae philosophiam docuit, deinde Ordinis Ministri Generalis voluntate Venetas missus est ut edoceret apud Studium Theologicum Sancti Francisci ad Vineam. Humilitate ac serenitate eminuit, cathedram reddidit aram suae continuae oblationis, eo ut duodecim per annos multitudinis iuvenum probatus ac verecundus vitae magister fieret. Anno 1856 electus est ad gubernium magnae Provinciae Langobardiae et Venetiae Sancti Antonii Fratrum Minorum de Observantia. Hoc in ministerio prudens, fortis

et benevolus evasit, regularem ac sodalem vitam restituens aptioremque institutionem iuvenum religiosorum post suppressionis annos redintegrans. Eodem tempore efficacem incepit operam reformationis et diffusionis Tertii Ordinis Sancti Francisci.

Octobris mense anno 1859 Providentia sub viis et instrumentis sui solo amoris consilio cognitis disposuit ei aditum, qui eius in vita maximi momenti fuit. Ad eum enim se contulit Francisca quaedam nobilis mulier flagrantissima de suis rebus familiaribus monasterium mulierum instituendi, quod perfecit cum novum Institutum Sororum Franciscalium constitutum est apostolicas ad missiones spectans ipsius patris Gregorii consilio. Absoluta oboedientia erga Dei propositum, sua magna cum abnegatione et humilitate, apostolico ardore pulsus, a Ministro Generali grave suscepit munus operam Sororum Tertii Ordinis Sancti Francisci pro missionibus regendi, quae Glemonae Fori Iulii die 21 mensis Aprilis anno 1861 canonice est erecta.

Cito totius novi Instituti, quod summa in spe inchoatum erat, Servus Dei solus mansit auctor inter difficultates et infandos labores, cum nobilis mulier anno 1863 repente discessisset. Gravis et heroica historia originis Instituti, quae a cruce valde signata est, celebrat invictam fortitudinem et heroicam patientiam necnon prudentiam et industriam istius humilis fratris Sancti Francisci, qui ad Dei tantum gloriam sibi sumpsit ingratissima munera, atroces querelas ac minas soli fidelitati erga divinam voluntatem confisus pro multis iuvenibus vitis ad missionem consecratis. Opum expers, aere autem alieno oppressus, quod fundatrix contraxerat, pater Gregorius filiis suis consulere fortiter perrexit, in serena ac fidenti certitudine quod «nihil his infimis in terris sine singulari Altissimi consilio evenit». Novi Instituti regulas scripsit, quas identidem mutavit et in quarum ipse, exemplo suo, diligentissima custodia se posuit ut iis in vitae communione et apostolico ardore omnes sorores studiose parerent.

Anno 1865 primam manum missionariorum in Americam septemptrionalem misit ut migrantibus, pueris parentibus orbatis et pauperibus assiderent. Anno 1872 aliam missionem inchoavit propinquuo in Oriente, ubi sorores operam dabant iuvenibus pauperioribus et derelictis instituendis. Servus Dei, quamquam umquam ab Italia exiret, tamen, eximio subsidio missionibus praebito, *Missionarius apostolicus* renuntiatus est. Postea, anno 1885, etiam in Italiam missionem instituit ut operam suam Ecclesiae a clero

infensis vulnerata et a propagata ignorantia suppeditaret. Artissimus suo Instituto semper stetit, etiam cum Minister Provincialis Fratrum Minorum Venetorum bis electus est in adiunctis difficillimis pro religiosis excruciatis diris suppressionibus Italicarum legum anni 1866.

Sollicitus de virtute et pietate excitanda et de fidelibus dirigendis suo primum deditionis exemplo, Deo silentio famulatus est, nullo sibi vindicato merito, sine propria utilitate etiam cum inter solitudinem et derelictionem omnium periclitabatur.

Extremos annos suaे vitae e mundanis absconditus degit, tempus omnino in orationem et in oblationem sui ad Dominum convertens. Morbo subitaneo correptus, dum Eucharistiam celebrabat, die 23 mensis Ianuarii anno 1894 Glemonae mortuus est apud suarum Filiarum monasterium Sanctae Mariae Angelorum, quas ipse rexerat et sustinuerat. Exequiae sequenti die celebratae sunt et corpus honoris et gratae beneficii memoriae signo iuxta defunctos sacerdotes paroeciae conditum est.

Fama sanctitatis Servi Dei super difficile silentium originis Instituti se imposuit et a Sororibus et sodalibus amore custodita ad posteritatem tradita est, eo ut a die 27 mensis Octobris anno 1990 ad diem 21 mensis Maii anno 1991 Inquisitio Dioecesana apud Curiam ecclesiasticam Utinensem celebraretur cuiusque iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 26 mensis Ianuarii anno 1996 est approbata. Exarata *Positione*, die 2 mensis Decembris anno 1997 Consultorum Historicorum Congressus celebratus est. Deinde die 16 mensis Ianuarii anno 2015 habitus est Theologorum Consultorum Congressus. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 7 mensis Novembris anno 2017 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theogalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Gregorii Fioravanti, Sacerdotis Professi ex Ordine Fratrum Minorum, Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium Missioniarum Sacri Cordis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Novembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## MALACITANA

**Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Tiburtii Arnáiz Muñoz Sacerdotis professi Societatis Iesu Fundatoris Consociationis Missionariorum a Doctrinis Ruralibus (1865-1926)**

### **DECRETUM SUPER MIRACULO**

Venerabilis Servus Dei Tiburtius Arnáiz Muñoz, sacerdos professus Societatis Iesu et Fundator Consociationis Missionariorum a Doctrinis Ruralibus, die 11 mensis Augusti anno 1865 Vallisoleti in Hispania natus est. In pueritia patre orbatus est et, signis vocationis ad vitam sacerdotalem perceptis, Dioecesanum Seminarium est ingressus. Die 20 mensis Aprilis anno 1890 sacro ordine auctus est. Pastoralem operam apud pagos v.d. *Villanueva de Duero et Poyales del Hoyo*, prope Abulam, explevit. Illo tempore Tiburtius vocationem ad vitam consecratam percepit et noviciatum Societatis Iesu Illiberre ingressus est. Anno 1904 primis emissis votis, factus est spirituialis moderator Seminarii et munus pastorale explevit apud valetudinarium et carceres valdeque fovit populares missiones in Vandalicia et in Insulis Fortunatis. Anno 1912 perpetua emisit vota. Per *Doctrinas rurales* agrorum ambitus pastorali munere excitare valuit. Secundum Societatis Iesu consuetudinem cultum erga Sacrum Cor Iesu defudit. Suo in pastorali munere exercendo indefatigabilis, postremum tempus suae mortalis existentiae vixit clarum fidei testimonium perhibens, magis magisque in Dei amoris contemplatione omnino immersus et Crucis mysterium participans. Die 18 mensis Iulii anno 1926 extrellum vitae spiritum edidit. Summus Pontifex Franciscus anno 2016 virtutes heroicas eius agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam sanationem cuiusdam viri subiecit, quae anno 1994 Malacae evenerat. Die 7 mensis Iunii illius anni quidam vir, quadraginta circiter annorum, cum minoris pediludii certamen una cum amicis luderet, fortem percepit dolorem in pectore, quem prosecuti sunt inconscientia, respirationis cessatio necnon omnibus verbalibus stimulis responsionis absentia. In valetudinarium celeriter deductus, medici gravitatem rei compererunt: aegrotus ostendebat cyanosim, cessationem cordis et respirationis necnon ventricularem fibrillationem. Statim eum subiecerunt defibrillationibus, opus tamen hoc ad effectum non pervenit quia novae

implicationes in corde, in renibus et in pulmonibus evenerunt, quae eum in finem vitae perduxerunt.

Illis in adiunctis soror aegroti, valde devota erga Venerabilem Servum Dei et socia comitatus pro eius beatificatione, eius ad sepulcrum se contulit et imaginem photographicam fratris posuit super illud, implorans ut frater sanaretur. Eius orationi etiam familiares et amici accesserunt. Paucis diebus transactis, infirmus clara et praeter exspectationem signa valetudinis redintegratae ostendit, necnon naturales functiones corporis omnino confirmatae sunt, ulla sine mendis illius gravis casus. Die 19 mensis Iulii ex valetudinario in condicione bona valetudinis demissus est. Subsequentes medicae inquisitiones negativae erant et eius perfectam sanationem confirmavere.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servi Dei invocationem et viri sanationem, qui deinceps naturali socialique vita pollens, sanus fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam ecclesiasticam Malacensem a die 22 mensis Septembris anno 1997 ad diem 4 mensis Martii anno 1998 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 25 mensis Ianuarii anno 2002 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 15 mensis Decembris anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 27 mensis Iunii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die autem 5 mensis Decembris anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me, Angelo Cardinale Amato, praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servi Dei Tiburtii Arnáiz Muñoz, Sacerdotis professi Societatis Iesu, Fundatoris Consociationis Missioniarum a Doctrinis Ruralibus, videlicet de celeri, perfecta ac constante sanatione cuiusdam viri ab “infarto acuto del miocardio anteriore esteso, complicato da arresto cardiorespiratorio, fibrillazione ventricolare e stato anossico encefalico”.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## CARACENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae a Monte Carmelo (in saeculo: Carmelitidis Helena Rendiles Martínez) Fundatrix Instituti Ancillarum a Iesu (1903-1977)**

### **DECRETUM SUPER MIRACULO**

Venerabilis Serva Dei Maria a Monte Carmelo (in saeculo: Carmelitis Helena Rendiles Martínez), Fundatrix Instituti Ancillarum a Iesu, die 11 mensis Augusti anno 1903 Caracis in Venetiola nata est. Iam a pueritia sua comitate et serenitate eminuit, quamvis sinistro brachio deficeret, quam ob rem totam per vitam gravissimas protheses adhibere debuit. Praematurus fratri minoris interitus anno 1927 et, tres post annos, etiam patris obitus in ea magnum maternaे spiritualitatis sensum generaverunt. Apostolatui in operibus apud paroeciam se tradidit. Anno 1927 Congregationem Ancillarum a Iesu et a Sanctissimo Sacramento ingressa est. Operam suam dedit labori et sororibus senibus assidendo. Mulier fuit altae et perennis orationis, maxime in cultu erga Sanctissimum Sacramentum et Mariam Virginem. Anno autem 1932 perpetua vota emisit. Anno 1935 Caracensis Domus Magistra Novitiarum nominata est. Pulmonaria tuberculosi correpta est et postea etiam arthritide laboravit. Anno 1965 ad Congregationem extendendam novam religiosam familiam Ancillarum a Iesu fundavit. Extremum testimonium sua mortali in existentia anno 1974 praebuit, cum casus viarius in autoraeda evenit. Suam operam non intermisit et, quamquam sella rotali et cruceis quidem adhibitis, domus Congregationis visitavit usque ad diem 9 mensis Maii anno 1977, qua die pie obiit. Summus Pontifex Franciscus anno 2013 virtutes heroicas eius agnovit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum miram quandam sanationem cuiusdam mulieris subiecit, quae anno 2003 Caracis evenerat. Mulier sponsa, mater et medica erat. Die 20 mensis Maii eiusdem anni cum ad chirurgicam sectionem faciendam se pararet, vehementem electricam excussionem dextera in manu percepit, ex qua gravem accepit digitu unctionem et digitabuli ex latice rupturam, quo strictura scalprum erat. Causa istius casus in ipso scalpro inventa est, quod fungebatur auxilio electrici generatoris ingentis tensionis (300 Volt). In horis et diebus sequentibus mulier in peius condicionis mutationem

percepit: dolores, paraesthesiae, formicationem, contractiones, repentinus excussions, manus hypertrophiam et progredientem defectionem roboris muscularum. Medicae curationes suppeditatae nullam mutationem in melius produxerunt, eo ut chirurgica sectio ad nervi mediani et ulnaris resectionem statueretur.

Illis in adjunctis laboriosis et acerbis, aegrota pro sua orabat sanatione. Eadem mane ante chirurgicam sectionem a quadam amica voluit perduci ad sacellum, in quo mortales exuviae conditae sunt Venerabilis, deinde se contulit ad cubiculum quo vixerat ipsa Serva Dei. Illic statim vires deficere percepit, sed cum rursus se habuit omnino sanatam se invenit. Res quae animum movet et amplius significavit Venerabilis intercessionem, narrata est a quadam sacerdote, qui Missam celebravit ad gratias agendas die dominica subsequenti prodigium: scilicet Serva Dei ob defectum brachii valde passa erat, qua re totam per vitam molestam adhibere debuit prothesim.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Venerabilis Servae Dei invocationem et mulieris sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam ecclesiasticam Caracensem a die 1 mensis Februarii ad diem 18 mensis Novembris anno 2014 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 5 mensis Iunii anno 2015 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 24 mensis Novembris anno 2016 declaravit sanationem celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 27 mensis Iunii anno 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die autem 21 mensis Novembris anno 2017 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Venerabilis Servae Dei Mariae a Monte Carmelo (in saeculo: Carmelitidis Helenae Rendiles Martínez), Fundatrixis Instituti Ancillarum a Iesu, videlicet de ce-*

leri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam mulieris a “sindrome dolorosa regionale complessa secondaria ada folgorazione della mano destra”.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## CRACOVIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Pauli Smolikowski Sacerdotis professi  
e Congregatione a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi (1849-1926)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucri facherem. [...] omnibus omnia factus sum, ut aliquos utique facherem salvos»  
(*1 Cor 9, 19-22*).

Haec Apostoli gentium declaratio, qui suam actionem assimilationis ad Dominum Iesum ostendit ut exemplar iter omni tempore apostolis, Servi Dei Pauli Smolikowski firmas spirituales persuasiones et habitum pulcherrimum eius innumerarum apostolicarum actionum bene compendiat. Vera eius interioris vitae substantia constituta erat super constantem ac pium dialogum cum Domino Iesu excultum et super cotidianam unionem cum eo gestam et quae exprimebatur per heroicam imitationem eius vitae, quem ille uti ipsam Salvatoris vitam habebat. Haec communio cum Christo, amore hominum Servo, vis erat quae patrem Paulum impellebat ut a se trascenderet et ad alios se omnino accommodaret ad aptiore modo alios inserviendos et quavis ratione illos servandos, qui Dei voluntate eius in viis positi essent.

Servus Dei Russico in pago v.d. *Twer* die 4 mensis Februarii anno 1849 natus est et sacro fonte lustratus die 13 insequentis mensis Martii. Pater eius militaris erat ingeniarius, mater autem nobili progenie nata, uterque Polonus in Russia relegatus est ob Polonorum contra Russiae Caesaris regimen seditionem, quae ab anno 1830 ad annum 1831 evenerat. Familia principiis vere religiosis regebatur et isto in ambitu Paulus suam primam humanam institutionem recepit, praeterea didicit Gallice, Germanice, Anglice et Russice loqui. Decem annos post Servi Dei ortum eius familia Varsaviam migravit.

Interea Paulus incepit clare percipere vocationem ad sacerdotalem et religiosam vitam, quae ad effectum pervenire potuit cum noviciatum Congregationis a Resurrectione D.N.I.C. nuper fundatae ingressus est. Votorum professionem ad tempus anno 1868, solemnem autem die 5 mensis Martii anno 1873 emisit. Sequenti die 15 mensis Aprilis Graecorum ritu sacro ordine auctus est, quod amplius significavit voluntatem suam operam missionariam

offerendi inter fideles Ecclesiae Catholicae Orientalis, sive Unitae Bulgariae, ad unionem Russiae et Ecclesiae foventam. Initiali tempore tamen fani in monte Vulturello prope Romam magistrum noviciorum substituere debuit, hoc ei permisit ut sua ad studia usque ad theologiae doctoris dignitatem attenderet.

Anno 1874 institutoris ac missionarii munere Bulgariam pervenit. Aliquos post annos Leopolim, hodierna in Ucraina, se transtulit. Postquam magnam operam apostolatui inter pueros et iuvenes dedit, rector Polonici Collegii in Urbe nominatus est. Fructus illius institutionis opera est singularis methodus educandi, quae adhuc hodierno tempore viget inter eius spirituales filios. Sua in Congregatione multis muneribus functus est, usque ad electionem ad officium Superioris Generalis anno 1895. Ipse ut Generalis decem per annos Congregationem rexit inter varias sollicitudines quoad confratrum vitam spiritualem, saepe graviores factas ab interioribus contentionebus, maxime ob introductionem novarum Constitutionum, quae non ab omnibus erant acceptae.

Anno 1905 pater Paulus Polonici Collegii rector iterum nominatus est. Interea primum bellum mundanum inceptum est, quod Servi Dei vitam secum traxit. Nam cum civis esset imperii Habsburgensis, Italianam, quae tunc cum Austria dimicabat, relinquere debuit. Qua re ad Polonicum pagum v.d. *Kęty* se contulit Sororum Resurrectionistarum capellani et visitatoris Patrum Resurrectionistarum in regionibus Imperii Austro-Hungarici et in Orientali Missione munere fungens.

Expleto bello, rursus Romae Collegium Polonicum per biennium rexit et anno 1921 se traduxit ad Cracoviam, ibique noviciorum magistri munere functus est et praedicationi et spirituali moderationi valde incubuit. Hoc tempore, certa ratione digessit et diffudit ad usum spiritualem paschalem, quae a Congregationis Fundatoribus accepta erat et quae suo exercitio et suis innumeris editionibus ad divulgationem evenerunt bonum pretiosissimum pro Congregatione Resurrectionistarum et pro tota Ecclesia. Ab anno 1924 eius valetudo infirmari incepit et cito ostendit signa progredientis paralysie.

Omnibus istis in mansionibus vitae Servus Dei animi ardore et congruentia Domini vocationem secutus est. Eius responsio est signum tam voluntatis inveniendi iter ad perfectionem quam idem strenue percurrendi.

Magna fuit eius fides, quae cotidie oratione, spiritualitate eucharistica et mariana alebatur. Ardens fuit amor, quo vitam suam ad ministerium erga

Deum et proximos iugiter direxit. Sui absoluta commendatio ad Dei voluntatem, exactissima exsecutio omnium officiorum ministerii sacerdotalis, instantissima cura animarum necnon exercitium poenitentiae pro reparatione multarum contumeliarum, quae cotidie Deo perpetrantur, haec omnia in suarum cogitationum et negotiorum vertice erant. Ex hoc deveniebat eius vehementissima pastoralis caritas, secundum exemplum Sacri Cordis Iesu, cuius in meritis omnino confidebat.

Ad Domini conspectum vitam suam degebat, et praecipue in aerumnis et difficultatibus mitem fortitudinem et prudentem sapientiam ostendit. Innumera testimonia fuerunt de eius summa fidelitate erga Ecclesiam eiusque Magisterium. Humilitas congrua fuit totius interioris animi Servi Dei, qui se concepit uti simplex instrumentum in manibus Domini, cui semper gratum animum de beneficio sacerdotalis et vitae consecratae vocationis servavit.

Die 11 mensis Septembris anno 1926 Servus Dei suam explevit mortalem exsistentiam. Magna confratrum sacerdotum et populi turma eius exsequiis interfuit, sanctitatis famam patefaciens, qua ille gaudebat in vita necnon gratam beneficii memoriam relictae spiritualis haereditatis.

Hac perdurante fama sanctitatis a die 24 mensis Maii anni 1966 ad diem 29 mensis Aprilis anni 1969 apud Curiam Ecclesiasticam Cracoviensem Informativus Processus celebratus est, dum etiam Rogatoriales Processus Romae et Cracoviae acti sunt, quorum omnium iuridica validitas per decretum diei 17 mensis Maii anno 1991 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 14 mensis Septembris anno 2010 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 5 mensis Decembris anno 2017 congregati, cui egomet Angelo Cardinalis Amato interfui, Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Pau-*

*li Smolikowski, Sacerdotis professi e Congregatione a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## CATAENSIS – SQUILLACENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Antoniae Samá Christifidelis Laicae (1875-1953)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis» (*Mt 11, 25*).

Serva Dei Maria Antonia Samá, infirmitate graviter affecta et in lecto amplius quam sexaginta annos cubita magna suavitate ac serenitate se tradidit condicioni illorum parvolorum ac simplicium, a quibus revelabatur Mysterium illud Amoris-Crucifixi Dei. Patiens cum Christo gratiaque Dei fulta, suam dolentem vitam fide et spe prospexit, convertens suam humilem domum in receptaculum solidaminis, caritatis et denique in locum verae Evangelii praedicationis.

Serva Dei in pago Sancti Andreeae ad Ionum in Cataensi provincia die 2 mensis Martii anno 1875 a Brunone et Maria Anna Vivino nata est, sequenti die sacro fonte lustrata. Anno 1882 primitus sacram ad mensam accessit confirmationemque accepit. Puella in plenitudine suae valetudinis tam corpore quam animo cum sodalibus suaे aetatis ludebat et currebat, docilis ac matri parens, quae in viduitate vix post paucos dies a filiae partu relictā, ab eadem opere adiuvabatur ad victum. Anno 1886, cum rure regrediens palustri ex scaturigine aquam forsitan infectam potavisset, dolores ac molestias arguit, quarum cum causae non cognoscerentur, suspicio fuit obsessionis casum esse etiam quia ea inquieta et indocilis videbatur. Quod fere per sex annos perseveratum est.

Mulier autem quaedam, nobili genere, ut adulescentis ac matris paupertati subveniret, viam conquisivit ad eam liberandam et mense Iunii anno 1894 disposuit ut iuvenis ad Cartusiam Serrae Sancti Brunonis traducta exorcizaretur. Illic parochus orationes ad iuvenem liberandam incepit atque amplius quam quinque horas Prior Cartusiae tota cum communitate ante bustum reliquiarium Sancti Brunonis produxit.

Maria Antonia tandem animadvertisit se omnino sanatam esse et Sancti bustum amplexa est, quasi viva carne praesens esset. Duos per annos circiter bona valetudine usa est, sed anno 1896 Serva Dei rursus in lecto resupi-

na et genibus sublatis iacere morbo coacta est. Sic eius incepit cruciatus aegrotae lecto decumbentis, qui usque ad mortem eam vexavit. Primum a matre auxiliata est, deinde etiam aliae personae ei assederunt et demum spirituale subsidium suppeditantes parochus, Patres Redemptoristae et Sorores Reparatrices a Sacro Corde, quae ei, post matris obitum, cuiusdam mulieris ei deditae constantem praesentiam praestiterunt.

Anno 1915 Serva Dei privatim religiosa vota in manibus Superiorissae Sororum Reparaticum, parochi cum benedictione, emisit. Post id tempus in capite atrum semper induit velum, ex quo ab omnibus *monachula Sancti Brunonis* nuncupabatur.

Magis magisque enituit eius spirituale testimonium ac prudens consilii autrix facta est omnibus incolis illius pagi, quibus fuit etiam calcar oblationis, orationis, conversionis et denique fortitudinis. Hoc in cruciatu corporis et spiritus, caelestis Pater, sua ratione docendi et Sancti Spiritus muneribus, eam ad plenam suam adhaesionem Iesu Crucifixo perduxit.

Inter homines eius fama sanctitatis propagari incepit, qui commovebantur Mariae Antoniae exemplo ut ad Dei voluntatem se conformarent, eius constante oratione, eius absoluta promptitudine ad immolationem, eius serenitate, eius risus et demum eius facultate excipiendi, consolandi et denique consilio iuvandi cuicunque ad eam convenienti.

Incolae Sancti Andreeae pagi post matris obitum die 24 mensis Februarii 1920 ei suppeditabant omnem necessarium cibum, quae ea autem vice sua cum egentibus participabat. Suam ergo crucem cum fide, spe, serenitate sustinuit, omnia sua cum aliis communicans. Simplici modo et efficaciter christianaे vitae omnibus exemplar evenit per evangelici nuntii propagationem, per orationem maxime erga Mariam, per exercitium devotum cotidianaе sacrae Communionis, per monitum necessitatis adhaerendi Christo ut vitis sarmentum fructus suos ederet.

Crucifixa fuit cum Crucifixo et prompta aliorum postulationibus ac necessitatibus; operam suam dedit Ecclesiae et humanae societati aedificandae, quae duobus mundialibus bellis vulnerabatur, suo oranti ac silenti testimonio, sua constante immolatione, sua fide in Providentia, sua denique absoluta commendatione in Deum.

Die 27 mensis Maii anno 1953, Crucifixum parieti a fronte positae adfixum prospiciens nomenque sanctum Iesu et Mariae nuncupans, mortali e vita exiit.

Sanctitatis fama perdurante, a die 5 mensis Augustii anno 2007 ad diem 2 mensis Martii anno 2009 iuxta Curiam Episcopalem Catacensem-Squillacensem Inquisitio Dioecesana celebrata est. Cum autem ab hac Congregatione de Causis Sanctorum ampliora quoad famam sanctitatis documenta requisita essent, a die 20 mensis Octobris anno 2011 ad diem 31 mensis Ianuarii anno 2012 Suppletiva Inquisitio habita est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 9 mensis Iunii anno 2012 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an herorum in gradum Serva Dei virtutes excoluisset. Die 21 mensis Iunii anno 2016, positivo cum exitu habitus est Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 5 mensis Decembris anno 2017 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servam Dei heroico in gradu, virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Antoniae Samá, christifidelis laicae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 18 mensis Decembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## BONAËRENsis SEU ORURENSIS

**Canonizationis Beatae Nazariae Ignatiae March Mesa (in religione: Nazariae Ignatiae a Sancta Teresia a Iesu) Fundatrix Congregationis Sororum Missionariarum Cruciatarum Ecclesiae (1889-1943)**

### DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Nazaria Ignatia March Mesa (in religione: Nazaria Ignatia a Sancta Teresia a Iesu), Fundatrix Congregationis Sororum Missionariarum Cruciatarum Ecclesiae, die 10 mensis Ianuarii anno 1889 Matriti nata est. Hispali collegium a monialibus Sancti Augustini a Spiritu Sancto rectum frequentavit, ibique primitus ad Sanctam Communionem accessit. Cum in familiam rediit, Tertio Ordini Sancti Francisci se adscripsit, sibi vitae regimen imposuit et tam vehementissimum apostolatum agere incepit erga familiares suos ut eius causa ecclesiam adire inciperent. Primis annis saeculi vicesimi eius familia Mexicopolim commigravit, ibique Beata ingressa est communitatem Parvarum Sororum Senium Derelictorum et anno 1911 professionem ad tempus emisit, interea Orurum in Bolivia petivit. Illic dispensatricis, vestiplicae et aegrotantium ministrae, ianitricis, coquae, mendicantis muneribus summa diligentia functa est, cognovit etiam occasionem dolentissimae purificationis non sine multis temptationibus et dubitationibus, quae tamen omnia valuit superare in orationem et in apostolatus operas omnino se impendens. Anno 1915 sollemnia vota emisit. Animadvertebat se vocatam esse ad apostolatum missionarium, hac re novum religiosum Institutum fundavit, scilicet *Misioneras Cruzadas de la Iglesia*, quod Latinis verbis exprimitur Missionariarum Cruciatarum Ecclesiae, ad verbum Domini nuntiandum et ad doctrinam christianam promovendam inter pueros et homines adultos per missiones et propagationem religiosorum scriptorum. Anno 1935 rediit Orurum ut domum ad spiritualia exercitia fundaret et apostolatum in suburbii regionis capititis diffunderet. Interea eius valetudo incerta aliquantum facta est ob laborans cor. Tertio generali capitulo occurrente, Bonaëropoli anno 1943 celebrato, fundatrix quamvis valetudine periclitaretur consessui adesse voluit. Pneumonitide correpta, die 6 mensis lulii anno 1943 decessit. Summus Pontifex Ioannes Paulus II anno 1992 in Beatorum album eam adscripsit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio, iudicio huius Congregacionis de Causis Sanctorum miram quandam sororis sanationem, quae mense

Octobri anno 2010 in Bolivia evenit. Soror quaedam, octogesimo secundo anno aetatis suae, subitaneum vitium locutionis ostendit neconon defectum coordinationis et quasdam difficultates in deambulando et deglutiendo. Deducta in urbem Pacensem in clinicam, morbus cerebro-vascularis compertus est una cum arteriarum sanguinis hypertensione et nervorum respirationis contentione. Ad aliud valetudinarium Cochabambae cito traducta est, cum autem recepta est edita fuit diagnosis haemorrhagiae intra cerebrum, defec-tus in verbis loquendis et scribendis necnon levis dimidia dexterae corporis partis paresis. Aetatis causa in sororem chirurgica sectio haud adhibita est, sed medicamentorum curationes tantum, quae fere inutiles evaserunt. Die 18 mensis Octobris, sine meliorata valetudine, demissa est.

Hoc tempore, religiosae communitates tam in Bolivia quam in Hispania Congregationis a Beata fundatae vehementissima in oratione institerunt ut impetrarent suae consororis sanationem per intercessionem Matris Nazariae. Sororibus accesserunt in oratione etiam multi fideles, praecipue infirmae familiares. Duos dies post demissionem e valetudinario aegrota repente omnino naturaliter loqui et scribere incepit, sine ullo naevo illius paresis. Naturales functiones celeriter refectae sunt sine morbi exitibus. Sequentes medicae inquisitiones sanationem omnino confirmaverunt. Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beatae invocationem et religiosae mulieris sanationem, quae deinceps naturali socialique vita pollens, sana fuit.

De hac sanatione, mira aestimata, apud Curiam Ecclesiasticam Co-chabambensem a die 4 mensis Maii ad diem 20 mensis Iulii anno 2015 Inquisitio dioecesana celebrata est, cum etiam Rogatoriales Inquisitiones Matriti et Iacobopoli Chiliae celerabantur, quorum iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 4 mensis Martii anno 2016 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in sessione diei 21 mensis Septembri anno 2017 declaravit sanationem, celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse. Die 26 mensis Octobris anno 2017 Congressus auctus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die autem 16 mensis Ianuarii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodiemo die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beatae Nazariae Ignatiae March Mesa (in religione: Nazariae Ignatiae a Sancta Teresia a Iesu), Fundatrix Congregationis Sororum Missioniarum Cruciatarum Ecclesiae, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione cuiusdam sororis ab “emorragia cerebrale spontanea intraparenchimale in sede frontale sinistra”.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 26 mensis Ianuarii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## ROMANA

**Canonizationis Beati Pauli VI (Ioannis Baptistae Montini) Summi Pontificis (1897-1978)**

### **DECRETUM SUPER MIRACULO**

Beatus Paulus Sextus (Ioannes Baptista Montini) die 26 mensis Septembris anno 1897 in oppido Concesio prope Brixiam in Italia natus est. Die 29 mensis Maii anno 1920, presbyteratu auctus est. Anno 1937, Substitutus Secretariae Status Suae Sanctitatis nominatus est et, tempore secundi mundialis belli, de profugis et iudeis persecutis suscipiendis summopere molitus est atque Officium in Civitate Vaticana pro militibus et civilibus calamitatum causa captis vel dispersis quaerendis instituit. Anno 1952, Pro-Secretarius Status pro Ordinariis Ecclesiae Negotiis factus est, et die 1 mensis Novembris anno 1954 Archiepiscopus Mediolanensis electus. Die 15 mensis Decembris anno 1958, Beatus ad dignitatem Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae a Sancto Ioanne Vigesimo Tertio enectus est, post cuius mortem, die 21 mensis Iunii anno 1963, Summus Pontifex, Pauli Sexti sumpto nomine, electus est. In opere a praedecessore inita alacriter perseverans, Concilium Vaticanum Secundum perfecit atque incepta innumerata inchoavit, quae vividae eius sollicitudinis erga Ecclesiam et mundum eius aetatis fuerunt signum, sicuti apostolica itinera permulta, perquisitio sermonis assidua, magisterium pacis summum, promulgatio atque effectio documentorum quae post Concilium publici iuris facta sunt, instauratio liturgica, indulgentia prudens in nova humani et socialis cultus adiuncta, populorum incrementi sollicitudo atque fidei incultratio. Vir spiritualitatis eximiae, humilis et urbanus, parcissimus exstitit in cotidianis. Oratio eius Verbo Dei et liturgiae et cotidianae Sanctissimi Sacramenti adorationi funditus innitebatur. In Castro Gandulphi die 6 mensis Augusti anno 1978 Deo spiritum reddidit, dum sinceris visceribus fidei Orationem dominicam pronuntiabat. Summus Pontifex Franciscus die 19 mensis Octobris anno 2014 in Beatorum caelitum ordinem eum adnumeravit.

Canonizationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum mirum casum cuiusdam mulieris praegnantis, cuius graviditas in summo discrimine versabatur, una cum eiusdem exitu, qui

infaustus videbatur, omnia tamen ad propitium effectum pervenerunt et puellula omnino sana nata est. Res Veronae anno 2014 evenit. Die 20 mensis Septembris eiusdem anni mulier triginta quinque annorum Leniaci in valetudinarium recepta est, cum abortus graviditati minaretur. Quamvis curationes adhibitae fuissent, tamen nulla fuit rei mutatio in melius et quippe medici mulierem monuerunt de facili infausto exitu illius graviditatis. Dilapsis diebus, sanguinis et liquoris amniotici amissiones adeo se auxerunt ut medici mulieri therapeuticum proposuerent abortum, quem statim ea recusavit.

Illis in diebus, Pauli VI beatificationis liturgia celebrabatur, postquam miraculum exactum similibus condicionibus illis mulieris praegnantis agnatum esset. Mulier ergo cito in Beatum invocationem suam intendit sua cum familia Brixianum Marianum Sanctuarium visitando, quod ipse Papa Montini frequentaverat, suaque in oratione perseveravit etiam sequentibus in diebus totum per suaे graviditatis tempus, quamvis ei de partu medici nuntiaverint puellulae cor sine motu repente staturum esse vel labores partus nimis praemature incepturos esse vel denique, edito partu, puellulae pro certo multos futuros esse naevos. Praeter omnes exspectationes die 25 mensis Decembris (dies maxime symbolica!) puellula sana nata est. Sequentes medicae inquisitiones naturale confirmaverunt incrementum sine ulla difficultate.

Evidens est concursus temporis et consequentia inter Beati invocationem et rei propitium exitum, de quo, cum mirus haberetur, apud Curiam Ecclesiasticam Veronensem a die 7 mensis Ianuarii ad diem 11 mensis Martii anno 2017 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 28 mensis Aprilis 2017 est approbata. Medicorum Consilium huius Dicasterii in Sessione diei 26 mensis Octobris anno 2017, cum casum late inquisivisset, diagnosim, prognosim, therapiam necnon rei prosperum exitum ex scientiae legibus inexplicabilem fuisse iudicavit. Die 14 mensis Decembris 2017 Congressus actus est Peculiaris Theologorum Consultorum, positivo cum exitu. Die autem 6 mensis Februarii anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi se congregaverunt, me Angelo Cardinale Amato praesidente. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota

Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Beati Pauli VI (Ioannis Baptistae Montini) videlicet de prospero discrimine praegnationis propter “rottura prematura pretermine delle membrane alla 13° settimana, complicata da anidramnios”.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Martii a.D. 2018.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## PORTUGALLENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Antonii Iosephi De Sousa Barroso  
Episcopi Portugallensis (1854-1918)**

### DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. In Domino gloriabitur anima mea, audiant mansueti et laetentur» (*Ps 34, 2-3*).

Israelis Psalmistae verba ardoris plena Servi Dei Antonii Iosephi De Sousa Barroso in vita et in spiritualitate redundant: enim in bona et in mala valetudine, in laetis et in angustiis rebus eius incessus Dominum constanter laudando et pauperioribus fratribus generose ministrando semper progressus est.

Servus Dei in pago v.d. *Remelhe* non longe e *Barcelos* in Lusitania die 5 mensis Novembris anno 1854 natus est. Expleto primo ludo, sua ad studia iuxta Regium Collegium Transmarinarum Missionum pagi *Cernache de Bonjardim* attendit. Iuvenilibus in annis propositum sacerdotale excoluit et confirmavit, qua re, institutionis cursu expedito, sacro ordine, die 20 mensis Septembris anno 1879, auctus est.

Primum ab anno 1881 ad annum 1888 Angoliam olim Lusitanam coloniam destinatus est. Illic cum actuosissimam operam pastoralem gessisset, quae a Sancta Sede agnita est, anno 1891, episcopus titularis Himerensis, vastae Mozambici apostolicae prelatura, nominatus est. Illorum annorum missionis in Angolia et in Mozambique, sua scientia, suo animo et zelo clara manet memoria eius conferentiarum de Missionibus.

Apostolicus zelus Servi Dei a novo munere, quo ipse inenarrabili industria functus est, magis augebatur, scilicet vix duobus annis ipse quattuor itinera fecit, quibus fere universam regionem sua sub spirituali dicione visitavit. Praecipua eius in sacerdotum institutione, in iuvenum educatione et in assistentia materiali incolarum illorum locorum, fuit sollicitudo. Ab anno 1894 ad annum 1895 Goano Concilio Provinciali in India interfuit, paulo post tamen, gravis valetudinis causa, in Lusitaniam redire debuit.

Lisbonae oratione et multas habendo conferentias de rebus ad missiones pertinentibus, spiritum missionarium favit. Cum valetudine bene restitutus esset, anno 1897 sedes dioecesana Meliaporensis in India ei attributa est.

Sequenti anno Romam iter fecit ibique ad Summum Pontificem Leonem XIII visitatione admissus est et eodem anno commissioni ad Pontificium Lusitanum Collegium Urbis instituendum praesedit. Etiam Romae suam navitatem profudit maxime in inquisitione missionariorum in Mozambicum mittendorum. Anno 1898 vix Meliaporensem dioecesim ingressus erat, *manus ad aratum ponens*, cum Portugallensis episcopus anno 1899 nominatus sit. Etiam novo in munere zelus eius indefessus videbatur.

Illis in annis Lusitana societas politicis et culturalibus mutationibus subvertebatur: monarchia enim eversa est et sua in vice anno 1910 res publica instaurata, quae tam suspiciosissima in Ecclesiam fuit ut in eam politicam descriminatricem et coercionis efficeret. Victima istius politicae fuit Servus Dei, qui sua e dioecesi bis expulsus est. Istis maxime in vicibus eius fidelitatis testimonium in Christum et in Ecclesiam eminuit.

Verax apostolicus ardor iam a pueritia perceptus totius vitae et spiritualitatis Servi Dei consentaneus fuit, qui fundabatur in amore erga Iesum Dominum tanta fidelitate ac vi, quanta constanter Ecclesiam adamavit.

Dominus de Sousa Barroso suam vitam constantem oblationem sui in absoluta promptitudine ac fiducia fecit. Hic vehementissimus amor in Christum eum impellebat omnibus in suis operibus, quae in plagis valde difficilibus et in arduis adiunctis coloniarum. Omnino amore captus erat Eucharistiae filialeque ac teneram devotionem erga Virginem Mariam coluit. Viribus sibi non parcebat ut omnibus adasset, maxime dolentibus, derelictis illis qui aliqua difficultate oppressi erant.

Verus apostolus fuit populorum indigenorum, pro quibus omnia gessit observantissimus eorum dignitatis. Communionem semper contendebat, dolens de omnibus divisionibus vel contentionibus unitatisque vias semper percurrendo. Vir fuit animosus et firmus in veritatem, fidem et iustitiam tuendo, fortis autem, dulcis, strenuus, indulgens, prudens, apertus et denique audiendi et colloquendi capax. Etiam cum valetudine sua vel politicis condicionibus impediretur tamen omnes suas vires generose donare perrexit in fidelitate erga suum sacerdotale munus et erga illam oblationem sui, quae totam per vitam eum direxerat.

Res eius vitae in extrema parte dominii Lusitanorum super colonias et in tempore politicarum mutationum eius in natione evenerunt, Dominus de Sousa Barroso semper evadit vir evangelicam perfectionem conquirens in

alacritate vitae cotidiana et in exercitio ministerii sui secundum Ecclesiae magisterium.

Portum Calensem anno 1917 redire potuit, tamen die 31 mensis Augusti anno 1918, Servus Dei suum mortale iter confecit.

Fama sanctitatis a die 21 mensis Iulii anno 1993 ad diem 5 mensis Novembris anno 1994 iuxta Curiam ecclesiasticam Portugallensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 5 mensis Maii anno 1995 est approbata. Exarata *Positione*, die 31 mensis Maii anno 2005 Historicorum Consultorum Congressus habitus est. Deinde disceptatum est consuetas secundum normas an Servus Dei virtutes heroum in modum excoluisset. Positivo cum exitu, die 10 mensis Martii anno 2006 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 16 mensis Maii anno 2017 congregati, cui egomet Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei virtutes theologales, cardinales et adnexas heroicum in modum excoluisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Antonii Iosephi De Sousa Barroso, Episcopi Portugallensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 16 mensis Iunii a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. & S.

✠ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## BARCINONENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Magini Morera y Feixas Sacerdotis professi Congregationis Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph (1908-1984)**

### **DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«Inspice et fac secundum exemplar» (*Ex 25, 40*).

Sententiam hanc, quam Moyses in monte receperat, Servus Dei Maginus Morera y Feixas accommodavit Sacrae Familiae de Nazareth suumque fecit vitae propositum et rationem apostolatus sui. Ut religiosus et sacerdos Filius Sacrae Familiae perhibuit testimonium vitae cohaerentis et plenae virtutibus apprehensis in simplicitate vitae Domus de Nazareth. Ut institutor et superior, a se cohaerentiam, generositatem, mortificationem et sacrificium semper postulavit, uti apostolus fecit ut omnes familiae se gererent ad imitationem Iesu, Mariae et Ioseph. Eius religiosa consecratio et sacerdotalis vita vestigium habent clari filialis amoris erga Familiam de Nazareth et ardoris desiderii eundem amorem infundendi inter iuvenes et familias.

Servus Dei die 16 mensis Novembris anno 1908 in pago v.d. *Castelltallat* iuxta Barcinonem natus est extremus duodecim filiorum patremque vix ad decimum septimum mensem vitae suaem perdidit. Eius mater christiane eum instituit et ad experientiam orationis eum imbuit. Cum alumnus fuisset collegii orphanorum pauperum de *Sant Julià de Vilatorta* iuxta Barcinonem, recti a religiosis Filiis Sacrae Familiae, ipse animadvertisit se vocatum esse huic religiosae familiae interesse. Barcinone die 25 mensis Septembris anno 1925 religiosam emisit professionem et die 8 mensis Augusti anno 1933 Domino in perpetuum se consecravit. Die autem 1 mensis Novembris anno 1933 Dertosae iuxta Tarragonem presbyteratu auctus est. Totam suam per vitam religiosus fidelis ac observans evadit necnon exemplaris sacerdos imitandus sua in fide sacris mysteriis celebrandis.

Dum ad curam alumnorum seminarii minoris Instituti in collegio Nazareno de *Blanes* iuxta Gerundam attendebat, religiosa persecutio anno 1936 eum deprehendit. Is postquam detentus ac interrogatus est, potuit ad Manresam iuxta Barcinonem confugere religiosamque ac sacerdotalem suam condicionem abdens, non praetermisit tamen, una cum aliis sacerdotibus in eodem oppido commorantibus, quin vehementi animo spiritualem suam

vitam gereret sacerdotaleque ministerium magno cum animo evangelico, illis gravibus loci et temporis adiunctis instantibus, exerceceret. Illic privatam scholam fundare valuit ut magnae copiae puerorum ac iuvenum christianam institutionem praestaret.

Die 24 mensis Septembris anno 1937, Superioris Generalis iussu, ex pago Manresa incepit periculosum pertransitum Pyrenaeorum montium, saeviente persecutione ac civili bello, pervenit usque ad Massiliam unde operam suam in portu ponens collegit pecuniam ut Romam die 17 mensis Octobris eiusdem anni perveniret.

Romae actuose participavit fundationi domus ad religiosos instituendos in pago *Palmoli* apud Teate, cuius pater spiritualis ac novitiorum magister nominatus est. Illic deprehensus est a secundo bello mundano, quod ipse animose ac supernaturali humanitate aggressus est, confugiens una cum magno numero noviciorum ac adspirantium quandam in villam.

Omnibus istis annis scilicet ab anno 1938 ad annum 1947 magnam actionem religiosam et sacerdotalem exegit, tam apud sedem instituti quam apud varias paroecias Aprutinae regionis, postea Romae ab anno 1953 usque ad annum 1958 ubi primus fuit parochus ecclesiae Sanctae Bibiana. Sequentibus annis primus fuit parochus ab anno 1970 ad annum 1975 ecclesiae Iesu de Nazareth Matriti et ab anno 1982 ecclesiae Sanctae Mariae Goretti pagi v.d. *Curitiba* in Brasilia, in quibus favit vitae christianaee fidelium et institutioni variarum catholicarum consociationum necnon caritativae curae omnium et maxime erga pauperiores, egeniores et infirmos, hoc modo Dei bonitatem ac misericordiam redundando.

Undecim per annos Instituti Procuratoris Generalis et Postulatoris Causae Canonizationis Sancti Iosephi Manyanet munere functus est. Ab anno 1958 ad 1969 et rursus ab anno 1975 ad annum 1981 Congregationis fuit Superior Generalis, omnia exagens sicut verus pater ac magister spiritualis vitae. Favit communitatis religiosae vitae et curavit maxime illos locos ad iuvenes religiosos instituendos, actuando cum diligentia monitus et placita Concilii Vaticani II quoad renovationem religiosae vitae Instituti. Pontificis Pii XII votis satisfecit cum Romae ecclesiam ad honorem Sacrae Familiae excitavit.

Religiosus ac sacerdos erat humilis, pauper, oboediens, laetus et candidus, magna fide fultus, amore in Deum inflammatus et denique eximia christiana experientia praeditus, quam in alios infundere semper valuit.

Vehementis orationis spiritum habuit, ei fuit etiam donum consilii necnon zelus ardens pro animarum salute, singularis caritas erga proximos maxime in egeniores, infirmos et debiliores. Per magnum excoluit amorem in Ecclesiam eiusque pastores. Vitam suam cotidie degit supernaturalia percipiendo sic omnia ad meliorum rerum expectationem et ad fiduciam in Dei voluntatem convertit. Sui oblitus, quamvis valetudine laboraret, animi ardorem, tempus et denique curas omnibus dispertiebat. Vir singularis fuit cotidianis in moribus laetus et aequo animo, fideliter et constanter munera suae vocationis suamque religiosam et sacerdotalem missionem ad effectum perducendo.

In fine anni 1982 cum gradatim visum amisisset, a Brasilia redire debuit. Barcinone suum tempus adhibuit in confessionibus audiendis ac fideles moderando spirituali subsidio in sacello Sacrae Familiae, donec mense Novembri anno 1983, grata erga Dominum beneficii memoria, iubileum sacerdotale celebrare potuit. Die autem 28 mensis Iunii anno 1984 tumore correptus, morbum patientia et cum bona pace tollerans, refectus a sacramentis et ab oratione Ecclesiae, animum suum amisit, sanctitatis in odore ac in plenitudine virtutum et bonarum operarum. Municipali in coemeterio loci v.d. *Les Corts* Barcinonis sepultus est.

Anno 2007, cum eius sanctitatis fama crevisset, Congregationis superiores, necessariis permissionibus ostentis, eius mortales exuviae apud lateralem sacellum paroecia Sancti Iosephi Manyanet, eiusdem Congregationis fundatoris, translari statuerunt.

Sanctitatis fama, a die 27 mensis Martii anno 2004 ad diem 11 mensis Iunii anno 2005 Inquisitio dioecesana apud Curiam Archiepiscopalem Barcinonensem celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 2 mensis Februarii anno 2007 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Die 12 mensis Maii anno 2016 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est positivo cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 26 mensis Septembris anno 2017 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato interfui, Servum Dei heroico in gradu virtutes theologales, cardinales eisque adnexit exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota

Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Magini Morera y Feixas, Sacerdotis professi Congregationis Filiorum Sacrae Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 9 mensis Octobris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## SABARIENSIS

**Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Ioannis Brenner Sacerdotis Dioecesani († 1957)**

### **DECRETUM SUPER MARTYRIO**

«Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo» (*Gal 6, 14*).

Servus Dei Ioannes Brenner vitam et mortem suam omnino pro Christo profudit. Ille Domini in cruce totius suae vitae praestantiam invenit, fortitudine et lenitate ad martyrium accessit, sanguinem suum illo Agni commiscendo. Eius interioris libertatis testimonium, animi ante mortem gravitas necnon firmissima fides in Dei consilii efficacem exitum tempore tenebrarum ac violentiae admodum fulgent.

Servus Dei in pago v.d. *Szombathely* in Hungaria die 27 mensis Decembris 1931 natus est. Eius familia sincera fidei adhaesione eminebat, quae demonstrabatur etiam ab eorum generosa caritatis opera erga proximum. Illo domestico ambitu Servi Dei et aliorum duorum fratrum sacerdotalis vocatio ubertim floruit. Ioannes lycaeum, a Patribus Cistercensibus rectum, ingressus est, prius pagi Szombathely, deinde pagi Zirc, ubi consilium ingredients monasticam communitatem in animo volvit.

Illis annis tamen, communistarum regimine constituto, religiosi ordines valde cruciati sunt per discriminationes, traductiones multitudinis religiosorum, magnis cum incommodis, necnon nefariis persecutionis sceleribus. Anno 1950 attamen Servus Dei noviciatum incohavit, Anastasii nomen sumens et die 19 mensis Augusti anno 1951 religiosam professionem emisit.

Cum politica adiuncta gradatim peiora facta essent, multi religiosi Hungariam relinquere coacti sunt. Ioannes dioecesanus sacerdos fieri maluit; interdum nonnulla seminaria a regimine abolita sunt, eo ut alia impedimenta eius institutioni addita sint. Tandem die 19 mensis Iunii anno 1955 sacro ordine auctus est.

Primum munus ei commissum fuit vicarii paroecialis iuxta pagum *Rábá-kethely*, in regione maxima sub dictione regiminis et in qua quidam animus Ecclesiae hostilis valde diffusus erat. Augentibus minis tum quod ad animum tum quod ad corpus, manifesta evenit Servi Dei spiritus promptitudo ac

fortitudo eius in munere sustinendo perseveranti generositate, quamvis ei metum incutere conati sint.

Horribilia persecutionis scelera, a communistis illata, non tantum in Hungaria sed etiam in illis regionibus in quibus haec perniciosissima doctrina diffusa et auctoritate potita erat, magis magisque vehementiora facta sunt. Ista palam et aperte in odium fidei perpetrabantur. Servi Dei interfectionis actus culturalibus et politicis in adiunctis intelligitur et bene comprehenditur.

Vesperi die 14 mensis Decembris anno 1957 Servus Dei ut simulato aegroto assideret vocatus est. Tamen non fuit vera invitatio sed insidiae. Sicarii, adhuc incogniti, eum prodire e domo paroeciali officii causa impulerunt interficiendi voluntate. Eius martyrium multa per pugionis plaga ei illata nocturno tempore evenit. Haec interemptio non fuit repentina in Servi Dei vita, sed ab inaudita successione impiorum facinorum, contumeliarum, incursionum claro cum proposito eum terrendi praemonita erat.

Per relegationem et, haud semel, interfectionem presbyterorum et religiosorum regimen voluit aperte delere omnia vestigia religionis. Qua re sola ratio Servi Dei mortis, noctu peractae, sine ulla defensione, fuit eo quod is erat sacerdos. Ullae promissiones vel minae eum deterruerunt, qui evadit heroicus Christi discipulus. Bene enim conscientius se iturum esse ad mortem, ostendit in hoc suam sinceram spiritualitatem, animi generositatem, simplicitatem et alacritatem in ministerio, quae omnia consentanea fuerant totius eius iuvenis vitae et ad extremum testimonium eum paraverunt.

Fama martyrii Servi Dei ecclesiali communitate diffusa a die 14 mensis Septembris anno 2006 ad diem 31 mensis Iulii anno 2008 iuxta Curiam ecclesiasticam Sabariensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas per Decretum huius Congregationis de Causis Sanctorum die 18 mensis Septembris anno 2009 est approbata. Exarata Positione, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei in odium fidei imperfectus sit. Die 15 mensis Novembris anno 2016 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus celebratus est, fausto cum exitu. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 7 mensis Novembris anno 2017 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amato praefui, Servum Dei ob fidem in Christum et in Ecclesiam imperfectum esse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die

declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Ioannis Brenner, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Novembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## FIRMANA

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Marcellini a Capradosso (in saeculo: Ioannis Maoloni) Laici professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum (1873-1909)**

### **DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

«In ipsa hora [Iesus] exsultavit Spiritu Sancto et dixit: “Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis; etiam, Pater, quia sic placuit ante te”» (*Lc 10, 21*).

Promptus gratiae vocationibus, Servus Dei Marcellinus a Capradosso vir fuit simplex et mitis, gradatim prudens et constanter gravis, propositum se Domino omnino consecrandi ad effectum feliciter perduxit. Sancti Francisci in familia testimonium perhibuit divini primati et fere translucidus factus ante Christi lucem, simplicem vitam cotidianam flagrantissimum spirituabilitatis reddidit iter.

Servus Dei die 22 mensis Septembris anno 1873 Villae Sambuci iuxta Castrum Lamae in provincia Asculana e Paschali Maoloni et Seraphina Caioni quartus septem ex filiis natus est. Sacrum ad fontem ei nomen Ioannis impositum est. Operae causa familia eius Capradossum commigrare debuit. Illic Servus Dei iuventutem degit, paroeciam frequentans et animi suo ardore catechesi incumbens. Scholae lectionibus uti nequit cum domesticis tenuis necessitatibus ipsem rebus agrorum perutilibus brachiis suis prodesse videretur, sui ipsius magister legere et scribere didicit, licet numquam hoc penitus exercebat. Parochus eum spiritus in vita moderavit intelligens in eo iuvenem generoso ac puro corde praeditum.

Servus Dei, sicut consentaneum est iuvenibus illa aetate, concepit suam constituere familiam, tamen corde in suo praepotens vocatio religiosam ad vitam occurrit. Patris desiderio excipiendo tres annos moratus est, magis tamen vocationem suam confirmando. Anno tandem 1902 secundum ipsam vocationem Patrum Capuccinorum Ausculi Piceni coenobium potuit ingredi. Eius voluntati frater strenue se opposuit etiam violentis argumentis utens ut eum e proposito averteret. Servus Dei tamen magna lenitate suo in consilio perstitit. Sic noviciatum Fori Sempronii inchoavit et nomen Marcellini a Capradosso sumpsit. Post aliquo tempore severae ac gravis institutionis anno

1903 simplicem emisit professionem dieque 6 autem mensis Maii anno 1906 sollemnem. Deinde Firmanum ad coenobium missus est, in quo fraternitas ad institutionem constituta inerat.

Illic etiam sicut in noviciatu Servus Dei sua oboedientia in superiores, in quibus Dei praesentia perspiciebat, eminuit eamque constanter adhibuit, quamvis contumelia despectus sit. Eius officium non specificum videbatur sed vero ad plurimas necessitates suppeditabat et illis muneribus fungebatur quae saepe fratribus laicis nuper professis mandabantur, scilicet adiutoris in culina, olitoris, ministri infirmorum.

Tenax eius perseverantia se offerendo actioni gratiae formantis, intima laetitia comitandi cum Domino, delicata suavitate erga fratres suos haec omnia erant sigillum quo ipse Deo gloriam tribuebat. Eius dies oratione alebatur et fraterna caritate sincera et generosa exprimebatur.

Cum gravis ac maturus sua in vocatione videretur neenon fortis in virtute ei mandatum est officium stipis collectionis, quo munere exercendo saepe per longum tempus extra coenobium stetit, familiarum et canonicarum hospitio ad dormiendum et edendum utebatur, ieunum servans usque ad vesperum cum ad Eucharistiam accedere sic potuerat, hominibus per vias occurrente iisdem bonum verbum praebendo.

Eius index erat pera quam ipse balteo suspensam secum deferebat, qua quoque et ianuas et animas aperiebat. Magis magisque fama eius eximiae vitae religiosae diffundebatur una cum illis parvis miris signis, quae propria totius memoriae familiae Franciscanae videntur et de quibus diffuse in sic dictis *Fioretti* legitur. Varios pagos peragrando ante omnia perveniebat semper ante Iesum in sacramento altaris absconditum, quem primum visitabat. Deinde ad pauperes accedebat sed et ad divites sine ulla distinctione, ab omnibus Dei amore aliquid caritatis postulans suis pro fratribus, pro qua ample in spiritu remunerabat. Eius stipis collectiones fuerunt operae suavissimae evangelizationis agresti in mundo, quem sua experientia optime cognoscebat.

Inter praecipua simplicis ac regularis vitae fratris Marcellini memorandum est auxilium iuveni confratri, scilicet patri Seraphino a Pollentia, qui aegre tuberculosi laborabat. Sex per menses ei assedit omnibus in materialibus ac spiritualibus necessitatibus eumque fidei ac caritatis verbis reficiens, sic explicans suam naturalem participationem in aliorum dolores, quos ipse umquam destitit mitigare.

Ministerio in confratrem expleto, postulavit ut missionarius in Brasiliam ire posset, sed paulo post Servus Dei tuberculari peritonaei inflammatio-ne laboravit, forsitan ob contagionem. Die 24 mensis Augusti anno 1908 Firmano in valetudinario receptus est et ibi, nullo adhibito chlorophormio, chirugicae sectioni subiectus est eique vulnus hians relictum est ut facilius pus efflueret. Acerimi dolores fuerunt, quos tamen frater Marcellinus sine questu sed laeto animo subridendo tulit, se declarans felicissimum inter mundi homines serena in commendatione ad Iesum. Cum extremis duobus vitae mensibus pedibus insistere nequiret, tempus suum in lecto recumbens degit continua oratione et sui sacrificio gratiasque agens de quolibet vel minimo famulatu erga se confecto. Aegrotatio a Servo Dei Christi pro amore lata est, defixa eius in corde paradisi imagine. E valetudinario demissus, in coenobio die 26 mensis Februarii anno 1909, acceptis infirmorum unctione et viatico, mortali e vita discessit.

Sanctitatis fama exaugente, iuxta Curiam dioecesanam Firmanam a die 29 mensis Iulii anno 1948 ad diem 30 mensis Novembris anno 1954 Processus Informativus Ordinarius celebratus est. Cum novae leges de Beatificatione et Canonizatione Sanctorum latae sint, Supplementum quoad historicam inquisitionem additum est. Quorum omnium ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 13 mensis Ianuarii anno 1995 iuridica validitas est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 28 mensis Februarii anno 2017 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 5 mensis Decembris anno 2017 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Amatus praefui, Servum Dei virtutes theologales, cardinales eis-que adnexas heroicum in gradum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Marcellini a Capradosso (in saeculo: Ioannis Maoloni), Laici professi Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Novembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

## MATRITENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Thomae Morales Pérez Sacerdotis professi Societatis Iesu Conditoris Institutorum Saecularium v.d. «Cruzados de Sancta Maria» et «Cruzadas de Sancta Maria» (1908-1994)**

### **DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS**

*Immaculata numquam fallit.*

Hac sententia, quam saepius dictitabat, Servus Dei Thomas Morales Pérez revelabat suam ipsius interiorem persuasionem: in beatae Virginis Mariae corde est refugium tutum atque iter ad caelum, quod tam validum existimavit ut donaret semet ipsum ad animarum salutem atque ad petendam sanctitatem.

Natus est Servus Dei in urbe v.d. *Macuto*, Venetiola in re publica, die 30 mensis Octobris anno 1908, sed vitam agitavit in Hispania, in natione quam eius familia petiit anno 1909. Post impletum litterarium ludum lege impositum, adiit Studiorum Universitatem Matritensem in qua Iuris Prudentiae frequentavit facultatem; in ipsa, fidei suae testimonium apte comprobavit atque Consociationis Catholicorum Auditorum egit praesidem. Lauream ibi consecutus est laude extraordinaria, atque insequenti tempore, anno 1932, doctoris diploma in Bononiensi Studiorum Universitate “Alma Mater” est adeptus. Hinc, signis perceptis ad vitam consecratam vocacionis, profectus est ut Societatis Iesu novicium monachum ageret Chevetogne Belgica in urbe: Iesu Societas enim ab Hispania electa erat. Sacerdos est constitutus Granatensi in urbe die 13 mensis Maii anno 1942.

Munus ei est concreditum docendi linguam Teutiscam atque religionem in urbe *Villafranca de los Barros*: spiritualium exercitiorum praedicatorem egit pariterque Catholicae Actionis, tunc exstantis, consiliarium. Sollemnia vota in Societate Iesu emisit die 2 mensis Februarii anno 1947. Postea repetiit Matritum atque munus suscepit praedicatoris spiritualium exercitiorum, quod munus constitutum est fulcimentum eius pastoralis navitatis cuique integrum dicavit vitam.

Illud “zelus domus tuae comedit me” (*Io 2, 17*) vere et recta ratione aptatur Servo Dei, quippe qui totum per diuturnum longae vitae suaे apostolatum, semper atque quolibet subsidio, summo zelo exquisiverit gloriam Dei animarumque salutem, praesertim sane iuvenum qui exstiterunt eius

praecipuum studium. Se praebuit virum amore Dei incensum, fidei atque spei repletum, quippe qui deditio sua proximum adiuvaverit spiritualibus materialibusque in necessitatibus.

Sat mature inter iuvenes illos spiritualia exercitia agentes ortus est apostolicus quidam magnae alacritatis motus, cui nomen *Hogar del Empleado*. Matriti in urbe Servus Dei validam dedit operam ut socialia augeret incepta per domorum constructionem ambulatoriorumque, per consortia inita mutuae utilitatis causa, perque centra ad institutionem et ad corporis exercitationem pertinentia, validam hoc modo exercendo operam ad urbem principem restaurandam tunc temporis post bellum ad finem adductum.

Praesertim sane nava exstitit ipsius misericordia in re spirituali, patefacta exercendo opera cum familiis, cum iuvenibus, cum hominibus cumque mulieribus Deo sacratis, in sacratis moderandis mulieribus contemplativis: authenticum se praebuit interioris vitae magistrum atque praestabilem spiritus rectorem, particulatim in vocationum discrimine, sive elocutione sive scriptis. Perdifficile sane apte constringere momentum apostolatus huius Servi Dei, qui nec sibi tempus servavit neque sua quaesivit commoda, sed tantum Ecclesiae necessitates est intuitus fideliumque aetatis suae, quaedam antecapiendo Concilii Vaticani II principia, praesertim quae pertinent ad laicorum munus in ecclesialibus socialibusque oneribus suscipiendis.

Fecunditatem operositatis profluxae a corde omnino Deo sacrato testantur duo eius sacerdotalis ministerii opera praecipua: *Cruzados de Santa Maria* atque *Cruzadas de Santa Maria*, duo Saecularia Instituta quorum sodales sanctitatem quaeritant praesertim operam exercendo inter operarios et institutores, ad effectum adducendo apostolatum “singularem”, atque per publicam christifidem *Hogares de Santa Maria* consociationem, familiis compositam.

*Ad maiorem Dei gloriam* exstitit polus ductor ipsius vitae. Praeter Ignatianam religiositatem, magni ducebat Servus Dei carmelitanam sanctae Theresiae a Iesu religiositatem, nec non sancti Ioannis a Cruce atque sanctae Teresiae a Iesu infante, cuius spiritualis infantiae iter est persecutus. Eius alta validaque religiositas fundata erat in Eucharistiae mysterio, in intima amicitia et coniunctione cum Christo. Pervigilationis ad honorem virginis Immaculatae concitator, in Dei Matrem tenellam exhibuit pieta-tem, praesertim sub titulo Fatimensi, eiusque mandatum vixit nuntiavitque.

Vitam suam Ei sacravit atque Instituta sub Eius tutela posuit. Coniunxit, cum pietate erga Cor Iesu in Eucharistiae sacramento, studium in sanctum Ioseph.

Servus Dei christianas virtutes ad proxim deduxit strenua ratione: eas coluit animo humili et aequabili, magna cum serenitate et spirituali gaudio, integra et suavi ratione, singulis diebus altissimo gradu, unde factum est ut cor eorum qui eum appropinquabant laeta pace perfunderetur. Amare et condonare semper scivit, etiam contumeliis subiectus.

Praeditus erat Servus Dei magna consilii sagacitate, quae profluebat a sapientia deducta ab Evangelii studio, a precibus atque ab interiore cogitatione, quam ob causam plurimi habitus est ob eius prudentiam atque consilia ad spiritalem progressum spectantia. Praeditus erat insuper forti natura: clare enituit ob suam fortitudinem; laude digna eius patientia atque sui ipsius animi moderatio, constantia, gravitas atque quarumlibet cupiditatum refrenatio. Sibi molestus, integrum requirebat deditionem, quin iniuriam redderet prudentiae vel iustitiae erga proximum.

Exemplari ratione exsecutus est etiam evangelica consilia: pauper profecto; castus purusque, religiosis superioribus obsequens. Exemplo fuit in silentio inque acceptance coram difficultatibus et sententiis obscuris. Ipsius oboedientia ad praxin deducta est per officiorum fidelem perfunctionem secundum Societatis Iesu mentem, sub Spiritus Sancti docili sequela. Sincerus Societatis Iesu sodalis, Ecclesiam dilexit ad Ignatianum *sentire cum Ecclesia*, declaratum in magisterii receptione.

Mortuus est Servus Dei in urbe Compluto die 1 mensis Octobris anno 1994.

Servi Dei, sive dum vitam ageret sive post mortem, sanctitatis fama est prosecuta, cuius vi, inde a die 24 mensis Iunii anno 2000 ad diem 17 mensis Martii anno 2007, facta est in Matritensi Archidioecesi dioecesana Inquisitio, cuius vim comprobavit haec Congregatio per decretum die 17 mensis Octobris anno 2008 datum. Post instructam *Positionem*, disceptatum est, ad formam praewisam, utrum Servus Dei virtutes exercuerit heroico gradu. Post certum responsum, die 6 mensis Octobris anno 2016 factus est Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus. Patres Cardinales atque Episcopi in Sessione Ordinaria die 17 mensis Octobris anno 2017, cuius praesidem ego Angelus cardinalis Amato egi, comprobaverunt Servum Dei exercuisse gradu heroico virtutes theologales, cardinales aliasque religiosis votis adiunctas.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexit, in gradu heroico, Servi Dei Thomae Morales Pérez, Sacerdotis professi Societatis Iesu, Fundatoris Institutorum Saecularium v.d. "Cruzados de Sancta Maria" et "Cruzadas de Sancta María", in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Novembris a.D. 2017.

ANGELUS CARD. AMATO, S.D.B.  
*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI  
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

# CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

---

## HEARSTENSIS ET MUSONITANAE

**De plena dioecesum unione neenon de novae Ecclesiae provisione.**

### DECRETUM

Ob Musonitanae dioecesis presbyterorum, praesertim dioecesanorum, fidelium numeri et pastoralis instructus exiguitatem, Exc.mus P.D. Robertus O. Bourgon, Episcopus Hearstensis simulque Administrator Apostolicus Musonitanus, Collegio Consultorum et Consilio Presbyterali auditis, ab Apostolica Sede expostulavit ut praedicta dioecesis Musonitana dioecesi Hearstensi plene uniretur, ut in unaquaque dioecesi magis perspicua natura Ecclesiae pateret, atque Episcopus apte et efficaciter omnia sua munere explere posset, prout religiosae, spirituales ac morales necessitates, neenon societatis et culturae mutationes, magis magisque exigunt.

Praeterea, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Aloisii Bonazzi, Archiepiscopi titulo Atellano et in Canada Apostolici Nuntii, Exc.morum Archiepiscoporum Metropolitarum Ottaviensis et Kivotini-Passitani, Exc.mi Praesidis Coetus Episcoporum Regionis Ontarii, necnon Praesidis Conferentiae Episcoporum Catholicorum Canadensium, Summus Pontifex Franciscus, Divina Providentia P.P., praesenti Congregationis pro Episcopis Decreto, statuit ac decernit ut, ad aptius animarurn bono prospiciendum, dioecesis Hearstensis, hactenus archidiocesis Ottaviensis suffraganea, et dioecesis Musonitana, hactenus archidioecesis Kivotinae-Passitanae suffraganea, in unum coalescant.

Denominatio dioecesis erit Hearstensis-Musonitana. Sedem habebit in urbe Hearstensi, ubi hodierna Ecclesia Cathedralis proprium hunc titulum servat, et suffraganea erit Metropolitanae Ecclesiae Ottaviensis. Pariter unica erit Curia Episcopal, itemque Tribunal Ecclesiasticum, Collegium Consultorum, Consilium Presbyterale, Consilium Pastorale, organa apostolatus et alia quaelibet instituta dioecesana, quae vigenti iure canonico praevidentur.

Nova circumscripn ecclesiastica in territorio suo includet et comprehendet territoria, quae ad unamquamque dioecesim unitam hodie pertinent. Una cum territorio paroeciarum, quae hucusque pertinebant ad singulas dioeceses unitas, censentur adnexa novae ecclesiasticae circumscriptioni etiam instituta ecclesiastica cum suis bonis atque iuribus quae ad ipsa quoquo modo spectent, ad normam can. 121 vigentis Codicis Iuris Canonici.

Sacerdotes et diaconi, qui hucusque uni ex dioecesibus unitis incardinati erant, posthac incardinati censentur novae dioecesi quae ex unione orta est.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Canada gestorem, necessarias et oportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eamdem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exse<sup>c</sup>utionis remittendi.

Ad memoratam novam dioecesim Hearstensem-Musonianam Summus Pontifex Franciscus, Divina Providentia P.P., eligit ac Pastorem praeficit idem Exc.mum P.D. Robertum O. Bourgon, hactenus Episcopum Hearstensem et Administratorem Apostolicum Musonianum.

Quapropter Apostolicae sub plumbo Litterae de his provisionibus expediantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 3 mensis Decembris anno 2018.

MARCUS Card. OUELLET

*Praefectus*

L. ☩ S.

☩ ILS<sup>ON</sup> DE JESUS MONTANARI

*A Secretis*

## PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

*die 8 Aprilis 2019.* — Cathedrali Ecclesiae Corcagiensi et Rossensi R.D. Fintan Gavin, e clero archidioecesis Dublinensis, ibique hactenus Cancellarium archiepiscopalem.

*die 10 Aprilis.* — Titulari Episcopali Ecclesiae Elvensi R.D. Darley Iosephum Kummer, e clero archidioecesis Portalegrensis in Brasilia, ibique hactenus paroeciae *Sancti Aloisii Gonzaga*, in civitate v.d. Canoas, Parochum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

*die 13 Aprilis.* — Archiepiscopum Coadiutorem Metropolitanae Ecclesiae Halifaxensi-Yarmuthensi, Exc.mum P.D. Brennum Iosephum Dunn, hactenus Episcopum Antigonensem.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Turrensi in Numidia, R.D. Villelmum Theodorum Elías Millares, e clero dioecesis Carabaillensis, hactenus Curionem paroeciae «El Señor de la Paz».

— Titulari Episcopali Ecclesiae Aeliensi, R.D. Richardum Augustum Rodríguez Álvarez, e clero archidioecesis Limanae, hactenus Curionem paroeciae vulgo nuncupatae «Santa María de Nazareth» eiusdem archidioecesis.

*die 16 Aprilis.* — Titulari Episcopali Ecclesiae Abbiritanae Germaniciorum R.D. Gerardum Schneider, e clero dioecesis Rottenburgensis-Stuggardiensis, ibique seminarii propedeutici *Ambrosianum* Rectorem et officii de rebus personalibus Moderatorem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Belesasensi, R.D. Paschalem Limachi Ortiz, e clero dioecesis Altanae, hactenus Vicarium Generalem et Curionem paroeciae v.d. «La Santísima Trinidad».

*die 17 Aprilis.* — Titulari Episcopali Ecclesiae Sanitiensi, R.D. Alanum Guellec, e clero dioecesis Corisopitensis ibique Vicarium generalem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Magalonensis.

*die 22 Aprilis 2019.* — Titulari Episcopali Ecclesiae Vitensi, R.D. Carolum Mariam Domínguez, Ordinis Augustinianorum Recollectorum sodalem, quem constituit Auxiliarem archidicecesis Sancti Ioannis de Cuyo.

*die 25 Aprilis.* — Cathedrali Ecclesiae Madisonensi, Exc.mum P.D. Donaldum Iosephum Hying, hactenus Episcopum dioecesis Gariensis.

*die 26 Aprilis.* — Titulari Episcopali Ecclesiae Germaniensi in Dacia R.D. Christianum Würtz, e clero archidioecesis Friburgensis, ibique Ecclesiae Cathedralis necnon Friburgi Brisgavorum paroeciae centralis Parochum et Decanum atque Capituli Metropolitani Canonicum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

*die 29 Aprilis.* — Archiepiscopum Coadiutorem Seattlensem, Exc.mum P.D. Paulum D. Etienne, hactenus Archiepiscopum Ancoragiensem.

*die 3 Maii.* — Titulari Episcopali Ecclesiae Neocastrensi R.D. Iosephum Schillaci, e clero archidicecesis Catanensis, hactenus ibique Seminarii Archiepiscopalnis Rectorem.

## DIARIUM ROMANAЕ CURIAE

---

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in udienza in occasione della presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 27 aprile, S.E. la Sig.ra AMAL MUSSA HUSSAIN AL-RUBAYE, Ambasciatore d'Iraq.

Il Romano Pontefice ha altresì ricevuto in Udienza:

Giovedì, 25 aprile, S.E. il Signor RAIMONDS VĒJONIS, Presidente della Repubblica di Lettonia;

Venerdì, 26 aprile, S.E. il Signor MILORAD DODIK, Presidente di turno della Presidenza collegiale della Bosnia ed Erzegovina;

Lunedì, 29 aprile, S.E. il Signor FAURE ESSOZIMNA GNASSINGBÉ, Presidente della Repubblica del Togo.

Il Santo Padre ha compiuto una Visita pastorale alla Parrocchia romana di San Giulio Papa, il giorno 7 aprile.

## SEGRETERIA DI STATO

### NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

- 27 aprile 2019 S.E.R. Mons. Ettore Balestrero, Arcivescovo tit. di Vitoriana, finora Nunzio Apostolico in Colombia, *Nunzio Apostolico nella Repubblica Democratica del Congo*.

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

- 5 marzo 2019 La Rev.da Sr. Alessandra Smerilli, F.M.A., Docente di Economia Politica presso la Pontificia Facoltà di Scienze dell'Educazione *Auxilium*, e l'Ill.mo Sig. Antonio Rizzi, Docente di Diritto Privato presso l'Università degli Studi *Tor Vergata* di Roma, *Consiglieri dello Stato della Città del Vaticano*.
- 18 » » L'Ecc.mo Mons. François Eid, Vescovo emerito di Le Caire dei Maroniti, *Membro della Congregazione delle Cause dei Santi «usque ad octogesimum annum»*.
- 1 aprile » Gli Em.mi Sig.ri Card.li: Pietro Parolin e Christoph Schönborn; e gli Ecc.mi Mons.ri: Walmor Oliveira de Azevedo e Rudolf Voderholzer, *Membri della Congregazione per la Dottrina della Fede «ad aliud quinquennium»*.  
L'Em.mo Sig. Card. Leonardo Sandri, *Membro del medesimo Dicastero «usque ad octogesimum annum»*.
- 2 » » L'Em.mo Sig. Card. Giuseppe Petrocchi, Arcivescovo de L'Aquila, *Membro della Congregazione delle Cause dei Santi «ad quinquennium»*.
- 10 » » L'Ill.mo Sig. Enrico Ferrannini, finora Promotore di Giustizia Sostituto, *Promotore di Giustizia Aggiunto presso la Corte d'Appello dello Stato della Città del Vaticano «ad quinquennium»*.
- 16 » » Gli Em.mi Sig.ri Card.li: Lorenzo Baldisserri, Segretario Generale del Sinodo dei Vescovi, e Beniamino Stella, Prefetto della Congregazione per il Clero, *Membri della Congregazione delle Cause dei Santi «usque ad octogesimum annum»*.
- 26 » » Gli Em.mi Sig.ri Card.li: Pietro Parolin e Gerard Vincent Nichols, *Membri della Congregazione per i Vescovi «ad aliud quinquennium»*.  
Gli Em.mi Sig.ri Card.li Lorenzo Baldisseri, Beniamino Stella e Gualtiero Bassetti, *Membri della medesima Congregazione per i Vescovi «usque ad octogesimum aetatis annum»*.

- 
- 27 aprile 2019 Gli Em.mi Sig.ri Card.li Marc Ouellet, Kazimierz Nycz e Gérald Cyprien Lacroix; gli Ecc.mi Mons.ri: Paul-André Durocher, Arthur Roche, Alfonso Cortés Contreras, Víctor Manuel Fernández, Filomeno Do Nascimento Vieira Dias, Joaquim Giovanni Mol Guimarães, Franz-Josef Overbeck, Linus Lee Seong-Hyo, Charles Morerod; l'Ill. mo Sig. Rafael Vicuña, *Membri del Pontificio Consiglio della Cultura «ad aliud quinquennium».*  
L'Ecc.mo Mons. Denis James Hart, *Membro del medesimo Pontificio Consiglio «usque ad octogesimum annum».*
- 30 » » Il Rev.do Mons. Giacomo Incitti, finora Prelato Consigliere, *Prelato Canonista del Tribunale della Penitenzieria Apostolica*; e il Rev.do P. Jan Ďačok, S.I., *Prelato Teologo del medesimo Tribunale*.  
Il Rev.do P. Giacomo Costa, S.I., Direttore della rivista *Aggiornamenti Sociali*, Presidente della *Fondazione Culturale San Fedele* (Italia); il Rev.do Don Rossano Sala, S.D.B., Docente di Pastorale Giovanile presso la Pontificia Università Salesiana, Direttore della rivista *Note di Pastorale Giovanile* (Italia); le Rev.de Suore: Nathalie Becquart, Xavière, già Direttrice del Servizio Nazionale della Conferenza Episcopale Francese per l'Evangelizzazione dei giovani e per le vocazioni (Francia); Alessandra Smerilli, F.M.A., Docente di Economia presso la Pontificia Facoltà di Scienze dell'Educazione *Auxilium*, Membro del Comitato scientifico e organizzatore delle settimane sociali dei Cattolici della Conferenza Episcopale Italiana, Consigliere dello Stato della Città del Vaticano (Italia); Maria Luisa Berzosa González, F.I., Direttrice di *Fe y alegría* (Spagna); l'Ill.ma Prof.ssa Cecilia Costa, Docente di Sociologia presso l'Università Roma Tre (Italia), *Consultori della Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi «ad triennium»*. I Rev.di Sig.ri: Mons. Lluis Clavell; Mons. Michele Giulio Masciarelli; Sac. Giuseppe Bonfrate; Mons. Maurizio Gronchi; Sac. Dario Vitali; Don Aimable Musoni, S.D.B.; i Rev.di Padri: Francois-Xavier Dumortier, S.I.; Georges-Henry Ruyssen, S.I.; Sabatino Majorano, C.SS.R.; Manuel Jesús Arroba Conde, C.M.F.; José Granados, D.C.J.M., *Consultori della medesima Segreteria Generale del Sinodo dei Vescovi «ad aliud triennium».*

Si rende noto che il 2 aprile 2019 sono stati rinnovati «ad aliud quinquennium» il Rev.do Sac. Pietro Lanciotti, *Giudice Istruttore*, e i Rev.di Mons. Giuseppe Tonello e Don Jesu María James Pudumai Doss, S.D.B., e la Dott.ssa Anna Pedretti, M. Id., *Giudici Esterni del Tribunale di Prima Istanza del Vicariato di Roma per le cause di nullità del matrimonio*.

## NECROLOGIO

- 5 aprile 2019 Mons. George Edward Rueger, Vescovo tit. di Maronana,  
già ausiliare di Worcester (*Stati Uniti d'America*).  
9 » » Mons. Héctor Manuel Rivera Pérez, Vescovo tit. di Tubunae  
di Numidia, già ausiliare di San Juan de Puerto Rico  
(*Porto Rico*).  
12 » » Mons. Ronald Paul Herzog, Vescovo em. di Alexandria (*Stati  
Uniti d'America*).  
13 » » Mons. Rodolfo Francisco Bobadilla Mata, C.M., Vescovo  
em. di Huehuetenango (*Guatemala*).  
16 » » Mons. Abraham D. Mattam, C.V., Vescovo em. di Satna dei  
Siro-Malabaresi (*India*).  
22 » » Mons. Simon Kaipuram, C.M., Vescovo di Balasore (*India*).  
24 » » Mons. Francisco Lerma Martinez, I.M.C., Vescovo di Guruè  
(*Mozambico*).  
29 » » Mons. Albert-Marie de Monléon, O.P., Vescovo em. di Meaux  
(*Francia*).  
2 maggio » Mons. Roland Aboujaoudé, Vescovo tit. di Arca di Fenicia  
dei Maroniti, Vescovo di Curia em. di Antiochia dei Ma-  
roniti (*Libano*).